DE

IMÆI TAUROMENITANI

VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXII MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXIV

HORA XII

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS KOTHE

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

HENRICUS HOLLECK, DR. PHIL.,
HERMANNUS SPECK, DR. PHIL.,
CAROLUS WOLFF, [illegible]

VRATISLAVIÆ.
TYPIS RUD. GROSSERI.

MARTINO HERTZ

SACRUM.

Prooemium.

Timaei fragmenta primus collegit Goeller[1]) ingenti diligentia admirandaque doctrina; ita vero desperat de disponendis, ut octoginta novem extra omnem prorsus ponat ordinem fateaturque omnino p. 204: »Vix contigerit, quid singulis totius operis partibus contentum fuerit, coniectura assequi. Ita enim omnia sunt confusa indigestaque, ut vix ullum in illis ordinem animadvertas, nexum vero singulorum librorum cogitando retexere minime possis.«

Est igitur collaudandus Mueller,[2]) qui iterum susceperit Timaei opera restauranda cunctasque reliquias in partes librosve distribuerit; quem quidem scrupulose secuti sunt Creuzer[3]) et Westermann.[4]) Gravissimis profecto argumentis evertit Muelleri computationem Arnoldt,[5]) sed paullo calidius (Bernhardy Suid. II, p. 1844) nesciri omnia affirmat de Timaei historiarum oeconomia, novum fere nihil proferens praeter quasdam de Suidae titulis suspiciones. Neque qui postea Timaeo operam navavit, Stiehle,[6]) quicquam prodidit de toto opere; recentissimus denique Timaei iudex, A. Schäfer,[7]) ne librorum quidem numerum audet definire.

---

[1]) De situ et origine Syracusarum p. 180—306.

[2]) FHG I, p. XLIX—LVII et 193—233, Paris 1841; IV, p. 625—6 et 640—1, ibid. 1851.

[3]) Annal. Vindob. 1844 p. 192—201; Histor. Kunst p. 311—9.

[4]) Pauly Enc. VI, 2, p. 1969—70.

[5]) De historiis Timaei opinionum ab editore Parisino conceptarum refutatio. — Progr. Gumbinn. 1851.

[6]) Philol. VIII, p. 613—6.

[7]) Quellenkunde, Lips. 1873, p. 83—8.

Ausus sum rem desperatam denuo pertractare: res mihine successerit, videndum est. Utique autem nova ac separata fragmentorum editione opus esse contendo.

§ 1.

Libri disponuntur.

Non recte ait Arnoldt p. 2 totius de Timaei historiis quaestionis fontem atque caput esse Suidam.[1]) Minime Suidas testis locuples, auctor certus videtur, qui tanta sit temeritate, ut Timaeum historicum et Timaeum Tauromenitam distinguat tamquam diversos. Muellero adstipulor ipsis fragmentis nitendum esse, deinde quaerendum, quidnam veri Suidas habeat quidve falsi. Itaque iure dicas Suidam totius disceptationis esse finem et exitum.

fr. 18 M: ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 48: ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 67: ἐν τῇ ἐννάτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 80: ἐν τῇ ἐννάτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 83: ἐν δεκάτῃ Ἱστοριῶν;
fr. 105: ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 107: ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 93: ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 127: ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 135: ἐν τῇ ὀγδόῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν;
fr. 140: ἐν λη′ Ἱστοριῶν.

Ac iam Suidae titulis prorsus destituimur. Dilucide vero fragmenta titulum docent hac numerorum serie:

Adde fr. 74: Τιμαίου τοῦ Ταυρομενίτου λέγοντος ἐν ταῖς Ἱστορίαις —; fr. 117: ὁ Τίμαιος ἐν ταῖς Ἱστορίαις διαβεβαιωσάμενος —; Diod. Sic. XVI, 7: Ἀνδρόμαχος

---

[1]) Westermann (Biogr. p. 225): Τίμαιος (Arcad. de acc. ed. Barker p. 43, 10; falso Porsonus Phot. lex. p. 110, 150, 432, 698 Τιμαῖος) Ἀνδρομάχου Ταυρομενίτης, ὃν Ἀθηναῖοι Ἐπιτίμαιον ὠνόμασαν· Φιλίσκου μαθητὴς τοῦ Μιλησίου. παρωνόμαστο δὲ τοῦτο διὰ τὸ πολλὰ ἐπιτιμᾶν, καὶ Γραοσυλλέκτρια δὲ διὰ τὸ τὰ τυχόντα ἀναγράφειν. ἔγραψεν Ἰταλικὰ καὶ Σικελικὰ ἐν βιβλίοις η′, Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικά, συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορμῶν, βιβλία ξη′, ὀλυμπιονίκας ἤτοι χρονικὰ πραξίδια. — ἔγραψε περὶ Συρίας καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πόλεων καὶ βασιλέων βιβλία γ′.

ὁ Ταυρομενίτης, Τιμαίου μὲν τοῦ τὰς Ἱστορίας συγγράψαντος πατὴρ ὤν; Jos. c. Apion. I, 24: πολλὰ δὲ καὶ Τίμαιος ἐν ταῖς Ἱστορίαις — βεβλασφήμηκεν. Vides Timaei operis titulum fuisse Ἱστορίαι. Itaque fr. 4: Ἱστορεῖ Τίμαιος Σικελικοῖς; fr. 64: Τίμαιος ὁ τὰς Σικελικὰς ἱστορίας συγγεγραφώς; fr. 90: Τίμαιον τὸν συντάξαντα τὰ περὶ τῆς Σικελίας — auctores parum accurate rem magis quam titulum significasse putandi sunt. Atque Dionysius Hal. (ant. I, 6, p. 17), cum Timaeo Κοιναὶ Ἱστορίαι tribuat, eodem sensu loquitur, quo Cicero (ep. ad fam. V, 12, 2) de Timaei »perpetuis historiis«: opponuntur magno operi separata volumina. Sed Timaei opus Κοιναὶ Ἱστορίαι inscriptum fuisse, ut opinantur Ideler (Chron. I, p. 378) et Meier (Ersch et Gruber III, 3, p. 167), vel maxime negaverim. Timaeum universalem quam dicimus historiam non scripsisse apparet fr. 143.

Constat igitur Timaeum condidisse magnum opus Ἱστορίαι inscriptum, cuius liber duodequadragesimus expresse citatur. Constat etiam omnes numeros, quibus additum est illud τῶν Ἱστοριῶν, ad totum opus esse referendos, non ad partes.

Extremis huius operis libris quinque Agathoclis vita fuit comprehensa (fr. 144 et 145), separatum fuit volumen de Pyrrho (fr. 151).

Quaeritur, divisumne fuerit magnum istud opus in partes quasdam annon. Ac statim succurrit nobis Schol. Pind. Nem. IX, 95 (fr. 85 et 84). De Chromio, quem Pindarus celebrat, vide Disseni Explic. ad Nem. I (Boeckh II, 2, p. 348): »Chromius, Agesidami filius, cui scriptum hoc carmen et quod infra habetur nonum, artis equestris dicitur fuisse peritissimus —. Praestans robore et virtute, dilectus fuit Geloni iam tum, cum hic, Hippocrate Gelae regnante, equitatui praefectus ad Helorum contra Syracusanos pugnavit, eiusque commilito factus egregiam laudem ex illa pugna adulescens reportavit.« Hippocrates enim, compluribus iam Siciliae urbibus expugnatis ut totam Siciliam in dicionem redigeret, Syracusanis bellum intulit eosque ad Helorum fluvium devicit Gelonis maxime atque Chromii operâ. Quam pugnam a Timaeo ἐν τῇ δεκάτῃ descriptam fuisse narrat scholiasta vel potius Didymus (fr. 85). Summa autem suboritur difficultas in sequentibus (fr. 84): Timaeus narravit ἐν τῇ δευτέρᾳ tantam

fuisse Gelonis cum Chromio familiaritatem, ut moribundus ille post Polyzelum fratrem filii tutores institueret Aristonoum et Chromium. Hanc permiram numerorum discrepantiam nemo non videt: Mueller, Suidam secutus, opinatur primum totius operis caput continuisse octo libros, inde ab nono novam librorum seriem statuisse nonnullos; secundum igitur scholiastae librum eundem esse, quem supra decimum appellet. Verum optime monuit Arnoldt fieri non potuisse, ut pugna ad Helorum facta eodem libro narraretur, quo Gelonis mors; — ac de moribundo Gelone agi versatur in aprico. Goeller p. 307, cui adsentitur Dissen p. 460, pugnam ponit Ol. 72, 1 (492 a. Chr.): Gelo moritur a. 478. Tot autem res his annis tantaeque gestae sunt, quas Timaeus quamvis brevissima adumbratione in unum librum nullo modo compressisset: Hippocratis mortui filios deicit Gelo de imperio, Syracusas expugnat, Siciliam subigit; urbem Syracusanorum denuo constituit, magnifice exornat, opibus auget, denique Poenos ingenti exercitu in Siciliam invadentes ad internecionem devincit. Haec omnia in unum librum congessit Timaeus, quem in Gelonis vita nimis loquacitati indulsisse insuper audimus (fr. 87)? Atque quarto demum decimo libro (fr. 89) scribit Gelo Carthaginiensibus pacis condiciones! Muelleri igitur sententia reiecta est; Arnoldt dubitanter delet ἐν τῇ δευτέρᾳ, deinde proponit: Ἐπιτρόπους δὲ τοῦ παιδὸς μετ᾽ ἐκεῖνον δευτέρους κατέστησεν κτλ. Sed merum hunc esse pleonasmum videt quispiam; deinde vel demonstrari potest genuinum esse illud ἐν τῇ δευτέρᾳ. Neque enim amplector Boeckhii coniecturam quamvis ingeniosissimam οὗ οὗτος ἑταῖρος pro οὗτος ἕτερος, ὅς. Sensit aliquis numerorum discrepantiam atque hanc adscripsit notam, Gelonem, de quo Timaeus ἐν τῇ δεκάτῃ, alium esse suspicatus atque eum, de quo ἐν τῇ δευτέρᾳ disseruerat. At vero laudatur totius operis pars secunda! Scholiasta sane librum afferre sibi videtur, Didymi sententiam non assecutus; Didymus vero, qui librum decimum modo citaverat, satis habuit partem operis designasse (ἐν τῇ δευτέρᾳ sc. συντάξει).

Tantum abest, ut comminiscar talem usum, ut aliud statim exemplum possim ostentare fr. 88. Etenim num Timaeus in duobus libris proxime sese excipientibus (ἐν τῇ πρώτῃ καὶ δευτέρᾳ) prorsus idem narravit?

Itaque Timaei opus duas partes habuisse verisimile est. Nihil restat nisi ut in librorum numeris commissuram indagemus, quae partium finem vel initium indicet.

Ac primum quidem offendit fr. 57: Timaeum libro septimo Xerxis incursionem narrasse tradit Athenaeus. Quid? libro nono et decimo Timaeus de Pythagora exposuit (fr. 77, 80, 83), libro quarto decimo de pugna Himeraea (fr. 89): nonne haec est perversa prorsus atque inaudita rerum enarrandarum ratio? At fortasse huius belli mentio facta est per occasionem, cum Timaeus Corinthum urbem depingeret! De Corintho egit Timaeus libro tertio (fr. 48). Nihil hoc loco probabilitatis speciem prae se fert nisi deprehendisse nos vestigia computationis a vulgari diversae: sagacissime Mueller suspicatus est usum huiusmodi, tamen loco inepto. Quadrat vero Suidae numerus octonarius ad fr. 57: libro quinto decimo Timaeus Xerxis expeditionem enarrasse videtur. Eodem libro apud Timaeum nascitur Empedocles (fr. 93): optime tempora conspirare nemo non videt. Haec autem quam vera sit ratiocinatio, perspicitur fr. 58: loquitur Timaeus de Sybaritarum luxurie libro septimo. Res fert, ut descriptio urbis optimum teneat locum, paullo antequam urbs deleatur. Quare eundem numerum septenarium ad librum quintum decimum refero: libro XV. Timaeus exposuit interitum Sybaritarum![1])

Atque tertius numerus eadem ratione debet adhiberi. Num revera Timaeum de Socratis pueritia (fr. 100) eodem libro nono exposuisse credimus, quo de Pythagora? Secundae partis liber nonus est Historiarum decimus septimus. Libro decimo octavo (fr. 94) Empedoclem iam eximie inclaruisse videmus.

Adde quartum numerum (fr. 81): Timaeus διὰ τῆς ἐννάτης — Historiarum libro decimo septimo — Empedoclem refert Pythagorae discipulum fuisse, sed exclusum propter λογοκλοπείαν. Libro decimo quinto nascitur Empedocles (fr. 93), duodevicesimo viget virili aetate (fr. 94):

---

[1]) Si quid latet in codicum praestantissimorum, Veneti et Laurentiani, scriptura ἐν τῇ τῆς ἑβδόμης, equidem non scripserim cum Schweighaeusero (Animadv. VI, p. 477) ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς ἑβδόμης, potius ἐν τῇ τῆς δευτέρας ἑβδόμῃ. Dindorf (vol. II, p. 1207) duplicem suspicatur fuisse scripturam ἐν τῇ ἑβδόμῃ et διὰ τῆς ἑβδόμης.

optime antecedenti libro iuvenis Pythagorae auditor esse poterat, videlicet ex confusa Timaei chronologia. Fecit enim Timaeus Pythagoram multo serioris aetatis, quam ceteri veteres nosque ipsi:[1]) iste quem omnes propter chronologiae praestantiam collaudant, talia vitia saepissime committit. Ne Sybaris quidem deletur apud Timaeum multo ante annum 470 (fr. 90). Atque Xenophanem Colophonium Hieronis temporibus vixisse opinatur (fr. 92).[2]) Tempora prorsus aliena commiscebat egregius iste temporum computator!

Quare iam licet addere fr. 45, ubi Historiarum liber decimus significatur: Epimenides apud Timaeum Pythagorae fuit discipulus, ut etiam apud Jamblichum (Vit. Pythag. 222 Kiessling).

Apud Jamblichum apertissima deprehendis Timaei vestigia:[3]) Pythagoras Tauromenium liberat a servitute (33), ebrium iuvenem Tauromenitam compescit cantu tibicinis (112), eódem die Metaponti simul et Tauromenii adest (134 et 136). Nimia deinde intercedit similitudo inter Timaei fragmenta et Jamblichum:

Tim. fr. 78 (Porphyr. Vit. Pythag. p. 8):
Τίμαιος ἱστορεῖ, τὴν Πυθαγόρου θυγατέρα καὶ παρθένον οὖσαν ἡγεῖσθαι τῶν παρθένων ἐν Κρότωνι, καὶ γυναῖκα τῶν γυναικῶν, τὴν δὲ οἰκίαν Δήμητρος ἱερὸν ποιῆσαι τοὺς Κροτωνιάτας· τὸν δὲ στενωπὸν καλεῖν Μουσεῖον.

Jamblich. 170:
γήμαντα δὲ τὴν γεννηθεῖσαν αὐτῷ θυγατέρα, μετὰ ταῦτα δὲ Μένωνι τῷ Κροτωνιάτῃ συνοικήσασαν, ἀγαγεῖν οὕτως, ὥστε παρθένον μὲν οὖσαν ἡγεῖσθαι τῶν χορῶν, γυναῖκα δὲ γενομένην προσιέναι τοῖς βωμοῖς. τοὺς δὲ Μεταποντίνους, διὰ μνήμης ἔχοντας ἔτι τὸν Πυθαγόραν, κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τὴν μὲν οἰκίαν αὐτοῦ Δήμητρος ἱερὸν τελέσαι, τὸν δὲ στενωπὸν Μουσεῖον.

---

[1]) Karsten, Empedoclis Agrig. carminum reliquiae (Philos. graec. vet. rell. tom. II.) p. 50. Zeller, Hist. philos. I^3 p. 276, 2.

[2]) Karsten, Xenophanis Col. carminum reliquiae (Philos. graec. vet. rell. tom. I,[1]) p. 3—10.

[3]) Meiners, Hist. scient. I, p. 225—8, 458—9, 502, 506.

Tim. fr. 83 (Diog. Laert. VIII, § 11):
Τίμαιός τέ φησιν ἐν δεκάτῃ Ἱστοριῶν, λέγειν αὐτὸν (Pythagoram), τὰς συνοικούσας ἀνδράσι θεῶν ἔχειν ὀνόματα, Κόρας, Νύμφας, εἶτα Μητέρας καλουμένας.

Jamblich. 56:
Ἔτι δὲ τὸν σοφώτατον τῶν ἁπάντων λεγόμενον καὶ συντάξαντα τὴν φωνὴν τῶν ἀνθρώπων καὶ τὸ σύνολον εὑρετὴν καταστάντα τῶν ὀνομάτων, εἴτε θεὸν, εἴτε δαίμονα, εἴτε θεῖόν τινα ἄνθρωπον, συνιδόντα, ὅτι τῆς εὐσεβείας, οἰκειότατόν ἐστι τὸ γένος τῶν γυναικῶν, ἑκάστην τὴν ἡλικίαν αὐτῶν συνώνυμον ποιήσασθαι θεῷ καὶ καλέσαι τὴν μὲν ἄγαμον, Κόρην, τὴν δὲ πρὸς ἄνδρα δεδομένην, Νύμφην, τὴν δὲ τέκνα γεννήσαμένην, Μητέρα, τὴν δὲ παῖδας ἐκ παίδων ἐπιδοῦσαν, κατὰ τὴν Δωρικὴν διάλεκτον, Μαῖαν.

Multo accuratius, quam Porphyrius et Diogenes, reddidit Timaei verba Jamblichus! Talem vero animadvertas consensionem:

Jamblich. 25 et 35:	Pythagoras Apollinis Genitoris aram adorat Deli	=	Tim. fr. 79.
32 et 92:	Κοινὰ τὰ φίλων	=	fr. 77.
40:	Hercules ludos Olympios instituit	=	fr. 97.
42:	Locri puellas mittunt Troiam	=	fr. 66.
50:	Hercules boves agit per Italiam	=	fr. 10 et 11.
136:	Empedocles Ἀλεξάνεμος	=	fr. 94.
266:	Diodorus Aspendius Pythagoreus	=	fr. 80.
267:	Empedocles Pythagorae discipulus	=	fr. 81.

Denique ut Timaeus, etiam Jamblichus Pythagoram facit multo post tralaticia tempora mortuum: Pythagoras viginti duos annos in Aegypto versatus, tum captus a Cambyse ac per duodecim annos Babylone detentus, Sa-

mum redit sex et quinquaginta annos natus (Jamblich. 19), vixit autem ad annum fere centesimum (Jamblich. 265).

Itaque quin Timaeus inter Jamblichi fontes fuerit, vacat dubitatione. — Alium autem etiam fontem vides, cum Jamblichus contra Timaeum (fr. 69) fuisse quondam Zaleucum Locrorum legum latorem tradat (33, 104, 130, 172, 267) atque, sibi ipse adversatus, Pythagoram faciat κατὰ τὴν Ὀλυμπιάδα τὴν δευτέραν ἐπὶ ταῖς ἑξήκοντα in Italiam profectum (35). Hinc sequitur, ut Jamblichus Timaeum ipsum non inspexerit, sed alium auctorem exscripserit, qui Timaei sententias cum ceteris scriptoribus composuit, Timaei autem de Zaleuco opinionem reprobavit: Jamblichus, quidquid invenit, expilavit sine distinctione. Pythagoram vero circa sexagesimam secundam olympiadem in Italiam venisse Timaeus non prodidit iam ideo, quod audacter certissimum annum posuisset, non modestam olympiadem. Timaeum sequitur Solinus (11, 31 p. 86 Mommsen): »Pythagoras offensus fastu tyrannico, relicta domo patria, Bruto consule qui reges urbe exegit, Italiam advectus est.« Neque apud Dion. Hal. A. R. II, 59 (Πυθαγόρας δὲ μετὰ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα διέτριψεν ἐν Ἰταλίᾳ) Timaeum agnosco (ὡς ἐκ τῶν κοινῶν παρειλήφαμεν ἱστοριῶν), quamquam Wachsmuth (Antiqu. graec. I, p. 118, 59 b), Mueller (FHG I, p. 578; II, p. 14), Dindorf (ed. Diod. Sic. vol. II, p. XLVI) hunc locum Timaeo tribuunt. Vitam Pythagorae sibi finxit Timaeus hunc in modum: Pythagoras nascitur Sami a. 569, philosophos Graecos auscultat a. 551—547 (Jamblich. 11), in Aegypto versatur a. 547—525, Babylone moratur a. 525—513, Samum revertitur a. 513, in Italiam proficiscitur a. 509, moritur a. 470. Jam vero quantas ineptias Timaeus narrarit de Pythagora, ex Jamblicho possumus colligere: Jamblichus profecto et Timaeus par nobile fratrum!

Quae cum ita sint, apud Timaeum Epimenides Pythagorae fuit discipulus. Timaei fontem video Platon. legg. I, p. 642, utpote qui Epimenidem Athenas profectum reddat decem annis ante pugnam Marathoniam.

Fuerunt igitur Historiarum partes duae; utraque suam habuit numerorum seriem; pars prior continuit octo libros. Jam de prioris partis oeconomia agendum est.

Suffragatur nobis fr. 55 (Polyb. XII, 28): disputat Timaeus de historiae munere ac dignitate, ipse gloriatur quasi magna operis parte absoluta. Num accurate Polybius κατὰ τὸ προοίμιον τῆς ἕκτης βίβλου Timaeum talia iactare refert? Nostro iure novum prioris partis caput hinc ordiri arbitramur atque ad Suidam provocamus: ἔγραψε περὶ Συρίας καὶ τῶν αὐτῆς πόλεων καὶ βασιλέων βιβλία γ'. Opinatur hodie nemo revera Timaeum tres libros scripsisse de Syria; sed nemo adhuc certi quicquam poterat confirmare: Ruhnkenii sententia, quae est Athenaeum, qui περὶ τῶν ἐν Συρίᾳ βασιλευσάντων scripsisse se ipse profitetur (V, p. 211a), confusum esse cum Timaeo, plausum non tulit; Goeller p. 182 Timaeo abiudicat istud opusculum, sed quid faciendum sit non addit; G. A. Schmidt[1]) titulum refert ad tempora regum Antigoni, Ptolemaei Lagi et Seleuci Nicatoris, quo imperante Syriae urbes maxime floruerunt; Westermann (ad Vossium p. 118, 20) dubitanter Timaeo audet servare rerum Syriacarum libros tres, dilucide autem sententiam non posuit, neque Goellero adstipulatus neque Schmidtio; Muellero penitus ibi latere Pyrrhi bellum suspicanti Creuzerum adsentiri miror, ipse enim Mueller (FHG III, p. 657) ad Ruhnkenium transfugit. Misere corruptum esse Suidae locum et ipse crediderim, emendari tamen posse non nimia difficultate. Haec enim ansa est emendationis, quod Timaeus de Syriae u r b i b u s scripsisse dicitur: latent in Syria Syracusae! De regibus Syracusanis cfr. Ztschrft. f. d. A.—W. 1846 p. 508—9. Urbes autem, de quibus exposuit Timaeus, sunt Syracusarum partes; cfr. Cic. Verr. IV, § 117—119: »Urbem Syracusas maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium, saepe audistis. — Ea tanta est urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea quam dixi, Insula. — Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est. — Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est. — Quarta autem est, quae quia postrema coaedificata est Neapolis nominatur.« Sane Cicero ipse versatus est in Sicilia; haec vero Syra-

1) De fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis in Macedoniam atque Graeciam susceptis.
Diss. Berol. 1834 p. 28, 6.

cusarum descriptio ex autopsia Ciceronis fluxisse nequit, quia illius temporibus non quattuor, sed quinque partibus constitisse Syracusas testatur Strabo VI p. 415 A: antiquiorem exscripsit Cicero auctorem, cuius aetate Epipolae propriam urbis partem nondum efficiebant. Ac iam dudum animadvertebant viri docti hanc Ciceronis descriptionem Timaeo esse tribuendam. Timaeum enim laudat Cicero de rep. III, 31: »Urbs illa praeclara, quam ait Timaeus Graecarum maximam, omnium autem esse pulcherrimam, arx visenda, portus usque in sinus oppidis et ad urbis crepidines infusi, viae latae, porticus, templa, muri, nihilo magis efficiebant Dionysio tenente, ut esset illa respublica; nihil enim populi et unius erat populus ipse.« Atque ad propriam Syracusarum descriptionem pertinent fr. 51 et 52 de mirabili quodam inter Arethusam fontem et Alpheum fluvium conexu. Laudat vero Suidas (fr. 56) de Callicyriis, Syracusanorum servis,[1]) Timaei librum sextum. Optime igitur quadrat etiam Suidae numerus ternarius: scripsit Timaeus περὶ Συρακουσῶν καὶ τῶν ἐν αὐταῖς πόλεων καὶ βασιλέων βιβλία γ΄ Historiarum lib. VI—VIII.

At moneo duos iam Suidae numeros comprobatos esse: quaeritur quid iudicandum sit de tertio. Haerent enim omnes in his verbis: συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορμῶν βιβλία ξη΄. Haec quomodo intellegenda sint, summa exstat inter viros doctos dissensio. Ac per se intellegitur antiquiores philologos non dubitasse Timaeo historico etiam tanti operis rhetorici molem imponere. Quorum nomina collata invenies apud Antoninum Mongitorum (Bibl. Sic. II, p. 264, Panhormi 1708)[2]): ex his autem quoniam ad nostra tempora valent Gerardi Vossii[3]) tantummodo et

[1]) Servorum nomen non constat, quoniam tria ferebantur antiquitus: Κυλλύριοι, Καλλικύριοι, Κιλλικύριοι. Atque infitiatur omnino C. O. Mueller (Dor. II, p. 62) haec graeca esse verba. Aliquam certe indicat etymologiam Aristoteles: ὠνομάσθησαν δὲ ἀπὸ τοῦ εἰς ταὐτὸ συνελθεῖν παντοδαποὶ ὄντες.

[2]) Summopere miratus sum, cum legerem p. 265: »(Timaeum) fabulosum fuisse censuit Cato in orig.« —, sed mox intellexi pertinere illud ad Popmam p. 137.

[3]) De historicis Graecis libri IV (Lugd. Bat. 1651 p. 82; ed. Westermann Lips. 1838 p. 117.)

Joannis Meursii[1]) opera, ceteros omitto. Verum etiam Bayle[2]) et Joecher[3]) omnia servant Timaeo. Primus rhetoricum opus Timaeo Siculo abiudicandum esse contendit Ruhnkenius: Timaeum sophistam ut lexici Platonici (ed. 1754 praef. p. 4) sic etiam huius operis esse auctorem. Ruhnkenio adstipulati sunt Goeller, Clinton,[4]) Westermann (ad Vossium). Bernhardy (ad Suidam) syllogen ad Timaeum rhetorem, sed numerum ξη′ ad commentarios historicos revocat. Atque Mueller miratus, quod omnino huius operis rhetorici fragmenta desunt, omnia verba ad Timaeum historicum refert, ita vero ut severior quidam Tauromenitae censor propter rhetoricam eius indolem historias Timaei συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορμῶν appellarit. Quae quidem sententia tantum plausum tulit, ut Creuzer et Westermann a Ruhnkenio transirent ad Muellerum, atque etiam Arnoldt adsentiretur. Utut res se habet, hoc certum videtur numerum non posse intellegi nisi de Timaei historiis, quamquam συλλογὴ ῥητορικῶν ἀφορμῶν a Timaeo Isocrateo (Blass, Hist. eloqu. graec. p. 41—3) haud aliena videtur. Jam igitur sitne genuinus iste numerus necne, disceptandum est. Sed magnam antea difficultatem ac penitus insitam debeo removere, qua non sublata omnis computatio facit naufragium.

Bello enim Peloponnesiaco magnum illud inter Dores et Jones discidium in Sicilia quoque exoritur: Syracusani Dores Leontinis Jonibus arma intulerunt. Gorgias Leontinus (fr. 95), qui auxilium peteret, Athenas legatus (a. 426) persuasit Atheniensibus, ut Siculos Jones iuvarent. Classem miserunt Athenienses in Siciliam (a. 425); Hermocrates vero, clarissimus ille Syracusanus, cuius maxime prudentiâ altera Atheniensium expeditio (a. 415—13) miserrimum nacta est exitum, concordiam suasit Siciliae populis (a. 424), ne ab externo hoste opprimerentur. Haec Timaeus narraverat ἐν τῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ βίβλῳ (fr. 97). Nec sapit iste numerus corruptelam, quia libro decimo octavo Empedoclem pollentem

[1]) Aristoxenus, Nicomachus, Alypius. (Lugd. Bat. 1616 Elzevir) p. 167—9.

[2]) Dictionnaire historique et critique, Rotterdam 1749. Vol. III p. 2879 B.

[3]) Gelehrtenlexicon p. 1207.

[4]) Fast. Hellen. III p. 489 r.

vidimus (fr. 94): quadrant tempora, quadrant libri. Sed magna profecto patet discrepantia fr. 127: Τίμαιος ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν Δημοκλέα φησί, τὸν Διονυσίου τοῦ νεωτέρου κόλακα κτλ. Itaque libro insequenti Timaeus de Dionysio minore locutus sexaginta fere annis (424—367) ne unum quidem tribuit librum? Vertit Mueller librum vicesimum secundum in Historiarum quadragesimum secundum, nihil curans, quod ipse iam laudatur Historiarum liber. Non licet, ubi adest illud τῶν Ἱστοριῶν, numeros ad diversam quandam normam referre. At vero apud Cic. Tusc. V, 20—22 ille qui viginti quinque annos natus dominatum occupavit, duodequadraginta annos tyrannus fuit, ille ad quem fabula de Damoclis gladio ceteraeque fabulae omnes pertinent, nonne est Dionysius maior? Uter igitur erravit, Cicero an Athenaeus? Athenaeus in tanta rerum mole facillime in talem errorem potuit incidere, non accurate vel vidit vel scripsit, minorem Dionysium cum maiore confudit. Ideo omnia, quae Athenaeus filio tribuit, nos patri reddimus.[1])

Jam facile videtur iudicium de fr. 119a (FHG IV, p. 641): Timaeus ἐν τῇ ἕκτῃ praebuit somnium illud Himeraeum de Dionysio maiore. Amplector Muelleri coniecturam lenissimam ἐν τῇ ιϛ', hunc vero librum decimum sextum, addito numero octonario, ad vicesimum quartum refero.

Idem valet ad fr. 111: depinxit Timaeus ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ βίβλῳ Agrigentinorum luxuriem opulentiamque superbam (fr. 111—4), cum Agrigentum ipsum a Carthaginiensibus funditus deleretur. Librum quintum decimum pro libro vicesimo tertio accipere non dubito.

Sed opponis falsam esse meam computationem: Agrigento iam deleto Dionysius imperium obtinuit; mea autem ratiocinatione Agrigentum libro vicesimo tertio evertitur (fr. 111), libro vicesimo secundo Dionysius iam est tyrannus (fr. 127)! Fateor, nisi contingit, ut istum

---

[1]) Jacet Casaubonus molestum illud ὡς τὸν Διονύσιον in ὡς τὸν Δίωνα emendaturus; sed ne delenda quidem censeo tria verba cum Schweighaeusero (edit. vol. II, p. 458; animadv. vol. III, p. 474) et Dindorfio (vol. I, p. 544). Reponendum est: ὁ Δημοκλῆς ἐάσας τὰς Νύμφας καὶ εἰπὼν οὐ δεῖν προσέχειν ἀψύχοις θεοῖς ἐλθὼν ὠρχεῖτο πρὸς τὸν Διονύσιον, ὡς θεὸν τὸν Διονύσιον. ἔπειτα πρεσβεύσας ποτὲ μεθ' ἑτέρων, καὶ πάντων κτλ.

eximam scrupulum, computationem meam cecidisse. At vero nitor fr. 125: cavillatur Timaeus Ephorum, qui Dionysio maiori sexaginta tres tribuat annos, cum ille viginti tres annos natus imperium adeptus sit, per duos et quadraginta annos imperaverit. Polybio quidem numerorum vitium non ab ipso Ephoro, sed a librario videtur profectum. Sed cur omnino haeret Timaeus in hisce quisquiliis? Debuit Ephorum increpare, quia prorsus falsam induxit chronologiam: Dionysius non quadraginta duos, sed duodequadraginta annos regnavit! Mirum videtur ingentem errorem praetermitti a Timaeo, acerbissime vituperari lapsum quendam, qui calami esse potest. Sed iungas velim Ciceronis numeros de Dionysio: »Duodequadraginta annos (405—367) tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset.« Ephori numerum (63) vides comprobatum! Ex Ephoro Cicero suos sumpsit numeros, non ex Timaeo; Ephorus autem minime Dionysium quadraginta duos annos fecit regnantem. Timaeus, nequissimus iste et arrogantissimus nebulo, hoc vitium commisit; ipse Dionysium viginti tres annos natum in solium ascendisse, duos autem et quadraginta annos (409 — 367) regnasse opinatus est. Tamen quâ erat superbiâ non vidit falsum esse suum numerum, Ephorum potius in addendo errasse credidit, cum Dionysii vitae annos sexaginta tres inveniret apud Ephorum. Incredibili sane neglegentia ac temeritate rem gessit Timaeus, sed ne Polybius quidem caret levitate: si Ephorum inspexisset, non ad librarii vitium confugisset, optimo iure foedam Timaei stultitiam arguisset et arrogantiam.

Timaeus igitur posuit Dionysii tyrannidis initium (a. 409) ante Agrigenti incendium (a. 406). Sed etiam marmor Parium a. 408 Dionysium tyrannum factum esse refert: patet Timaeum hoc quidem in numero marmoris fuisse auctorem. Suo igitur iure Bergk (Philol. XXXII, p. 565) Timaeum inter marmoris fontes esse contendit, quoniam marmor Parium et Timaei historia eodem anno 264 desinunt. Recte tamen monet Boeckh (Corp. Inscr. Graec. vol. II, p. 303—4) multa non esse in marmore Pario, quae ad Timaeum pertineant.

Tale autem temporum computationis monstrum Timaeus lectoribus ausus est proponere, quamquam facillime veri-

tatem explorare potuit de Dionysio, qui ne uno quidem saeculo ante ipsum vixit idque Syracusis! Quid igitur? Statne etiamnunc fabula illa de Timaeo accuratissime tempora perscrutante? Num iste, qui omnium consensu insulsus fuit, stolidus, stupidus, accurata excellebat ac dilucida temporum computatione, ubi summa sagacitate, summo indagandi acumine opus est? Ad Timaei chronologiam maxime pertinet illud Schweighaeuseri (ed. Polyb. vol. VII, p. 72): »cum miram aliquam et praecipuam in scribenda historia diligentiam atque ἀκρίβειαν ille iactaverit, putida tamen neglegentia et puerili levitate in multis usus est.« Fallitur Polybius (XII, 10), falluntur omnes[1]), qui Timaeo confidunt suam ipsius chronologiam impudenter ostentanti!

Tota fere iam perscripta commentatione nactus sum Lud. Mendelssohnii »quaestiones Eratosthenicas« (act. soc. phil. Lips. ed. Fr. Ritschelius, 1872, II, 1, p. 161—96). Video ausum esse Mendelssohnium sacrosanctam Timaei gloriam aliquantisper obscurare. Etenim fr. 119 cum Timaeus eodem die Euripidis mortem ponat ac Dionysii tyrannidis natales, Euripidem autem paullulo ante tralaticium tyrannidis initium decessisse necesse sit: Mendelssohn, reiectis Boeckhii et Bernhardyi interpretationibus artificiosissimis, ita difficultatem solvit, ut Timaeus more consueto lusum quendam synchronisticum leviter commentus sit. Sed mihi quidem Timaei levitas multo videtur maior: non dubito quin Timaeus mortem Euripidis a. 409 posuerit, nullo ductus consilio nisi tempora exaequandi, quoniam fabellam illam acceperat de Dionysio et Euripide, ipse autem falso Dionysii tyrannidis initium posuit a. 409. Eratosthenes videlicet Timaeum non est secutus neque hic neque, credo, unquam in chronologia; immo Philochorus Timaei numerum praebet: ἐτελεύτησε δὲ (Euripides), ὥς φησι Φιλόχορος, ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονώς (480—409), ὡς δὲ Ἐρατοσθένης οε´ (480—405), καὶ ἐν Μακεδονίᾳ ἐτάφη. Mediam quandam partem inter Timaeum (409) et Eratosthenem (405) tenet marmoris Parii auctor (ol. 93, 2).[2])

---

[1]) Cfr. recentissimum de Timaeo chronologo iudicium Voelkerlingii (De rebus Siculis ab Atheniensium expeditione usque ad prioris belli Punici finem gestis. Diss. Vrat. 1868 p. 8).

[2]) FHG I p. 587

Philochorus autem et Timaeus intellegendi sunt apud Diod. XIII, 103: τινὲς δὲ λέγουσι κτλ. Atque omnino omnes fabulae, quibus Euripidis, Sophoclis, Aeschyli mortes obvolvuntur, ex Timaeo videntur fluxisse: Gell. XV, 20 certa Timaei agnoscuntur vestigia, utpote qui Theopompi et Philochori sententias, Aristophanis et Alexandri versus Historiis suis intexuerit. Gellius Timaeum ex Varrone cognovit (fr. 12).[1])

His igitur solutis quaestionibus ipsum totius operis definiamus librorum numerum. Nam licet Suidas expressis verbis tradat libros fuisse sexaginta octo, pauci tantummodo viri docti probant numerum, plures imminuunt, quia summus laudatur liber duodequadragesimus (fr. 140): ultra provehi audacioris esse, addendos tamen quinque libros de Agathocle. Novam autem hic subesse video difficultatem, omnium quae adhuc nobis occurrebant longe maximam: dico ingentem illam ac mirabilem discrepantiam inter fr. 97 et 134, de qua Mueller adeo desperat, ut omnino nescire sese quid faciendum sit fateatur. Ac profecto Timaeus fr. 97 de Hermocrate (a. 424) exponit ἐν τῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ βίβλῳ, fr. 134 de Timoleonte (a. 340) ἐν τῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ βίβλῳ! Mueller alterius numeri (fr. 134) corruptelam suspicatus varia tentat,[2]) denique Polybium diversam sequi librorum computationem arbitratur. Atque ut aliquid veri semper divinavit vir doctissimus, et ipse censeo Polybium hoc uno loco libros numerare nova quadam ratione. Minime vero Polybius aliam ac diversam Timaei operis adhibuit divisionem, sed partis cuiusdam libros designavit peculiari ipsius partis numero.

Contigit ut initium partis, cuius Polybius laudat numerum, investigarem. Etenim fr. 139 utique ex huius partis prooemio est depromptum: Timaeus in patriam vel reversus vel reversurus profitetur ἐν τῇ τριακοστῇ καὶ τετάρτῃ βίβλῳ Athenis se sedisse per quinquaginta annos.[3])

---

[1]) Censorin. ed. O. Jahn p. 6.

[2]) Genuinum esse utrumque numerum probat codicis error (Hultsch p. 852 = Tim. fr. 134).

[3]) Palimpsestus Vaticanus praebet ἐγένετο: ἐγενόμην debetur Angelo Maio. Subvenit orationi claudicanti Theodorus Heyse (p. 43), coniunctione ὅτι posita ante πεντήκοντα. Hultsch p. 846 omnia servat Timaeo. Equidem scripserim: "Οτι Τίμαιός φησιν ἐν τῇ τριακοστῇ

Scriptores ubinam loqui solent de suis fatis nisi in prooemiis? Ac diu mirabar, quod Timaeus Pyrrhi bellum ab historiis separavit: causam non vidi, quia prorsus eadem pergit narrare, quae in Historiis tractaverat. Jam vero videtur Timaeus, in patriam redux factus, incertus ipse quamdiu victurus esset aetate iam provectus, ut opus aliquatenus ad finem perduceret, in lucem edidisse, quae usque ad id tempus conscripserat: quae sequuntur tempora usque ad a. 264 Timaeum Historiis adiuncturum fuisse compertum habeo, nisi morte esset praeventus. Separatas igitur edidit Historiarum partes, libros autem inde ab tricesimo quarto usque ad finem totius operis unius partis vinculo comprehendit.

Patet Polybii librum vicesimum primum (fr. 134) esse Historiarum quinquagesimum quartum: sequitur ut Suidae numerus ξη' optime se habeat.

Fecit autem Timaeus intercapedinem scribendi in libro tricesimo tertio, quia haud dubie ad maioris momenti terminum historiam deduxerat. Nam si quid video, duodecim libris (XXII—XXXIII) Dionysii patris vita enarrata fuit.

Non licet fr. 135, ut libet Muellero, numerum ἐν τῇ ὀγδόῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν de parte quadam interpretari. Sed nequit omnino Nicodemus, tyrannus Centuripinorum, quem Timoleon de dominatu deiecit (a. 339), hic agnosci, ut Schweighaeuserum secuti omnes adhuc arbitrantur.[1] Tauromenitae fr. 135 Nicodemo utuntur amico; Andromachus autem, qui inde ab a. 358 praeerat oppidanis, cum semper tyrannorum inimicissimus, tum Timoleontis Dionysium ceterosque tyrannos exigentis socius fuit atque fautor. Mentionem deinde iniecisset Timaeus Andromachi patris, qui principatum tenebat inter Tauromenitas ac paene regnabat: ita vero facit verba, quasi in libera republica legati non ab uno mitterentur, sed a populo. Itaque causam non video, cur Historiarum librum duodetricesimum deseramus, quippe qui optime ad historiam sit aptus. Dionysius enim, fractis Cartha-

---

καὶ τετάρτῃ βύβλῳ »πεντήκοντα συνεχῶς ἔτη διατρίψας Ἀθήνησι ξενιτεύων« καὶ πάσης ὁμολογουμένως ἄπειρος ἐγένετο πολεμικῆς χρείας, ἔτι δὲ καὶ τῆς τῶν τόπων θέας.

[1]) Pape, lex. nom. propr. graec. p. 1005.

giniensium opibus (a. 394), Siculas civitates adoritur, sed Tauromenium aggressus nuper a Siculis conditum (a. 396), adeo reicitur, ut tota Sicilia libertatis recuperandae spem reciperet, Poeni vel bellum denuo instaurarent. Verum Dionysius Poenos propellit, rebellionem contundit, Tauromenium expugnat, urbem mercennariis tradit (Diod. Sic. XIV, 87—96): Andromachus, Timaei pater, a. 358 Tauromenium iterum condit, Naxiis fugitivis — Naxum Dionysius a. 403 deleverat — undique convocatis. Tauromenitae igitur fr. 135 contra Dionysium auxilium petivisse videntur a Nicodemo. Nicodemus quis fuerit nescimus, forsitan et ipse regulus indigena vel omnino Siculus dives ac potens, nequaquam tyrannus ille Centuripinorum, ut iam tempora demonstrant.[1])

Elucet vero priorem partem usque ad Dionysii mortem fuisse deductam. Nam libris sex (XXII—XXVII) Timaeum Dionysii cum Poenis bella diuturna (409—394) comprehendisse probabile fit eo, quod libro XXVIII. Dionysii cum Tauromenitis bellum narravit: poscit sermonis aequabilitas, ut libros sex alteros (XXVIII—XXXIII) reliquis Dionysii annis (394—367) tribuamus.

Adde quaestiunculam de fr. 105 et 107; ubi quamquam bis ait Athenaeus Timaeum de Hycaris vel de Laide exposuisse ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν, Mueller librum tricesimum tertium intellegit. At vero non licet, si Historiarum liber laudatur, partem intellegere. Deinde opinatur Mueller captam esse Laidem bello Peloponnesiaco, cum Athenienses Hycara expugnarent: maiorem postulat librorum numerum, ut bellum Peloponnesiacum apte significetur. Sed Timaeus de Hycaris loquitur, non de Laide: per occasionem, oppidulum illud obscurum paullisper illustrans, natam ibi esse refert Laidem celeberrimam: ne dicit quidem captam esse Laidem bello Peloponnesiaco. Nihil restat nisi ut numeros illos de

[1]) Haec valent ad vulgatam καθεστηκότων et ad Schweighaeuserum (edit. vol. IV, p. 246; animadv. vol. VI, p. 106) nomen πρέσβεων subintellegentem: «Polyxenus, unus ex eis qui a Tauromenitis (legati) constituti erant, princeps legationis —». Aptior est Dalecampii interpretatio: «Polyxenus quidam ex eorum numero qui rempublicam Taurominitanorum gubernabant, missus ad Nicodemum legatus —». Optime vero Dindorf (vol. II, p. 1055) codicis Laurentiani amplectitur scripturam μεθεστηκότων: tum Siculi iam eiecti sunt a Dionysio.

Historiis Timaei accipiamus, verbis traditis obsecuti: Timaeus Historiarum libro decimo tertio de Hycaris egit, Siciliae oppidulo.[1])

Ceteros quoque numeros, de quibus nihil monui, ad Historias refero, quamquam omnes sane licet in dubitationem vocare, quibus deest illud τῶν Ἱστοριῶν. Hanc igitur Historiarum probo librorum seriem:

fr. 18: ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Ἱστοριῶν (ἐν τῇ πρώτῃ) = lib. 1.
fr. 26: ἐν τῇ δευτέρᾳ βίβλῳ = lib. 2.
fr. 48: ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 3.
fr. 98: ἐν τῇ τετάρτῃ = lib. 4.
fr. 55: κατὰ τὸ προοίμιον τῆς ἕκτης βίβλου = lib. 6.
fr. 56: ἐν ς' = lib. 6.
fr. 67: ἐν τῇ ἐννάτῃ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 9.
fr. 77: ἐν τῷ θ' = lib. 9.
fr. 80: ἐν τῇ ἐννάτῃ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 9.
fr. 83: ἐν δεκάτῃ Ἱστοριῶν = lib. 10.
fr. 45: ἐν τῇ δευτέρᾳ = lib. 10.
fr. 85: ἐν τῇ δεκάτῃ = lib. 10.
fr. 105 et 107: ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 13.
fr. 89: διὰ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης = lib. 14.
fr. 93: ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 15.
fr. 57: ἐν τῇ ἑβδόμῃ = lib. 15.
fr. 58: ἐν τῇ ἑβδόμῃ = lib. 15.
fr. 81: διὰ τῆς ἐννάτης = lib. 17.
fr. 100: ἐν τῇ ἐννάτῃ = lib. 17.
fr. 94: ἐν τῇ ιη' = lib. 18.
fr. 97: ἐν τῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ βίβλῳ = lib. 21.
fr. 127: ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 22.
fr. 111: ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ βίβλῳ = lib. 23.
fr. 119 a: ἐν τῇ ις' = lib. 24.
fr. 135: ἐν τῇ ὀγδόῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν Ἱστοριῶν = lib. 28.
fr. 139: ἐν τῇ τριακοστῇ καὶ τετάρτῃ βίβλῳ = lib. 34.
fr. 140: ἐν λη' Ἱστοριῶν = lib. 38.
fr. 134: ἐν τῇ μιᾷ καὶ εἰκοστῇ βίβλῳ = lib. 54.

[1]) Codex Laurentianus hoc loco mutilatus, quippe qui omittat τῶν ἱστοριῶν et postea εἴρηκεν, numerum infringere non potest, cum praebeat ις pro τρισκαιδεκάτῃ (Dindorf vol. III, p. 1311). De re cfr. Jacobs, Verm. Schr. IV, p. 417—19.

Reliquum est, ut exponam quid sentiam de Timaei opusculo longe celeberrimo, cuius titulum Suidas sic exhibet: Ὀλυμπιονίκας ἤτοι χρονικὰ πραξίδια. Unusquisque videt idem opusculum a Polybio (XII, 11)[1]) significari. Neque dubitari potest, quidnam egerit Timaeus hoc libello. Etenim usque ad id tempus Athenienses ex archontibus, Spartani ex ephoris, Argivi ex Junonis sacerdotibus annos designabant: Timaeus ut universam omnium Graecorum chronologiam constitueret omnes istos numeros ad unum rettulit, quem olympiadum quadriennio notabat. Quod si primus fecit, sane laudandus est, quia novam et opportunam chronologiae munivit viam. Rem non perspexit Koerber (De Philisto p. 19—20, Diss. Vrat. 1874), ex Phil. fr. 6 infitiatus Timaeum primum scriptorum Siculorum accuratum cuiusvis anni ordinem observasse, notatis videlicet olympiadibus: neutiquam Timaeus primus olympiades adhibuit, sed fortasse primus universam instituit Graecorum chronologiam, saepius in ipsa quoque historia olympiades usurpans, quam ceteri atque Philistus. Quid autem significat illud χρονικὰ πραξίδια? Vertunt: »Acta Chronica« vel »acta ad tempus suum relata« vel »Fasti rerum gestarum«. Recte Meier (Ersch et Gruber III, 3 p. 489) πραξίδια accipit pro capitibus. Itaque χρονικὰ πραξίδια fuerint quaestiones chronologicae.

Coroebi olympias inde ab antiquissimis temporibus ita fixa erat, ut nemo iam veterum auderet hanc firmam epocham infringere, ne Timaeus quidem, qui fr. 21 aperte Coroebi olympiadem in animo habet (Movers, Phoen. II, 2, p. 150). Sed de Iphiti olympiade antiquitus magna fuit controversia: itaque facere non poterat, quin et ipse aliquanto augeret confusionem. Censorinus enim (fr. 152) refert a Troiae excidio usque ad primam olympiadem numerasse Timaeum annos 417. Troia autem

---

[1]) Opinor in Polybii verbis virgulam non esse ponendam nisi post Ἀθήνησι: ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνησι, καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς ὀλυμπιονίκας, καὶ τὰς ἁμαρτίας τῶν πόλεων (perperam Westermann τῶν πολλῶν) περὶ τὰς ἀναγραφὰς τὰς τούτων ἐξελέγχων, παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον, οὗτος ἐστίν. Cfr. Corsini (Diss. agonist. p. 114), C. O. Mueller (Dor. I, p. 131), Krause (Olymp. praef. p. IX—X), Grote (I, p. 774), Oettinger (Pauly Enc. V, p. 918—9).

deletur a. 1334 (fr. 66, 53, 153). Non merito viri docti uno ore Timaei calculum (fr. 53) ut pravissimum reiecere;[1]) aperte Corcyram conditam a. 734, Troiam deletam sexcentis annis ante statuit.[2]) Prima igitur haec videlicet Iphiti olympias cadit in a. 917! Fuerunt sane qui locum censerent depravatum: certam medelam haud sane facilem, Thrasyllo pro Timaeo posito, Mendelssohn p. 186, 1 sibi videtur indagasse. Genuinum vero esse locum colligo ex Cic. de rep. II, § 18: »centum et octo annis, postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant. Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati triginta annis anteponunt fere.« Recte Westermann (Pauly Enc. IV p. 1265) Timaeum agnovit Ciceronis fontem; nam nemo duos Lycurgos distinxit praeter Timaeum (fr. 47). Sed Cicero ex memoria citarit necesse est: alioquin ita fontes non commiscuisset, ut iam de Roma condita adversaretur Timaeo, iam de Lycurgo adsentiretur. Adde autem numerum primae Coroebi olympiadis (776) ceteris Ciceronis numeris (108 et 30): efficies a. 914. Cicero alterum illum Lycurgum, quem Timaeus introduxit, non ad Iphiti, sed ad usitatissimam Coroebi olympiadem rettulit; Lycurgum legumlatorem eo tempore posuit, quo Timaeus ipse, a. 884; denique numerum 917 non poterat referre nisi ad Homerum, quem aequalem ille fecerat Lycurgo maiori: dubitanter triginta fere, i. e. paullo plús triginta annos addit, ut numerum compleret; veluti Cornelius Nepos (Gell. XVII, 21, 3) Homerum annis circiter centum et sexaginta ante Romam conditam posuit, et ipse secutus Tauromenitam. Sed Lycurgum, olympiadum auctorem, Iphiti aequalem, fecerat Timaeus paullo maiorem, Homero quam proximum: Lycurgum legumlatorem posuerat tralaticio tempore. Sic ambo Lycurgi non eodem tempore vivebant, tam vero propinquis temporibus (917 et 884),

---

[1]) Raoul-Rochette, Col. gr. III p. 185; O. Mueller, Dor. I, p. 118; G. C. A. Mueller, de Corcyraeorum republica p. 12—14.

[2]) Clinton, Fast. Hellen. vert. Krueger p. VII. — Velleius Paterculus (I, 8, 4) minime Timaei praebet aeram Troianam, ut videtur O. Muellero (Dor. II, p. 502); sane vero Duris Samius (Mueller FHG II, p. 472).

ut facile utriusque facta ad Lycurgum legumlatorem celeberrimum possent transferri.[1])

Prima igitur Iphiti olympias cadit centum et quadraginta annis ante primam Coroebi. Sed omnino in Historiis Timaeum non nimis saepe olympiades adhibuisse censeo: perperam certe putat Graefenhan (Hist. philol. ant. II, p. 165) Timaeum semper olympiadibus usum esse, etsi Volquardsen[2]) immerito olympiadum usum prorsus abiudicet Timaeo.

Ille autem de Lycurgo error explicatur ex Paus. V, 4, 4: τὰ δὲ Ἠλείων γράμματα ἀρχαῖα ἐς πατέρα ὁμώνυμον ἀνῆγε τὸν Ἴφιτον. Elucet Timaeum Iphito filio patrem praetulisse eodemque modo seniorem effecisse alterum suum Lycurgum, Iphiti aequalem, qui Olympios ludos instituit. Revera igitur noster Athenis, Argis, Spartae, Olympiae annales publicos inspexit! Errat Westermann (Pauly Enc. III, p. 1108) Hellanicum Timaei in hoc quidem opusculo fuisse fontem opinatus: in ipsis sedisse Timaeum annalibus iterum contendo.

Sero ad me devenit C. Muelleri commentatio (FHG V, prol. p. XXXVII et XLIX, Parisiis 1870). Neque Muellero possum concedere olympiadis annum 926; deinde quin Iphiti olympias intellegenda sit, non potest dubitari; denique Timaeus utique ac recte quidem Carthaginem fecit conditam a. 814 (a. 38 ante Coroebi olympiadem 776), sane vero numerum ex fonte Punico videtur accepisse. Cetera quae de Timaei chronologia exposuit Mueller (Fragment. chronolog. introd. p. 120—6) adeo sunt mira, ut refutatione vix egeant. Etenim fr. 91 a (Schol. Pind. Ol. V, 19) ex Muelleri sententia Timaeus numerum duxit a tralaticia Coroebi olympiade (776) sed scholiastae auctor temere putavit propriam Iphiti olympiadem (926) intellegi, deinde numerum, quem subtrahendo effecit, rursus ad vulgarem rettulit Coroebi aeram! Vana sunt quae Mueller de fr. 92 protulit. Timaei autem de Antiocho Syracusano errorem apud Strabonem frustra quaesivi.

Cum grano salis velim accipias quae Brandis disputavit (De temporum Graecorum antiquissimorum rationibus, Progr. natal. reg. Bonn. 1857 p. 26).

---

[1]) C. Peter (Tabb. chron. hist. graec. 1873 p. 22, 22).

[2]) »Untersuchungen über die Quellen — bei Diodor, Buch XI bis XVI« (Kiloniae 1868) p. 81, 1.

§ 2.

Fragmenta adornantur.

Operam dedi, ut omnia quae adhuc exstabant impedimenta removerem, dubitationes tollerem, difficultates solverem. Sequitur huius disceptationis pars secunda: eam quam enucleasse mihi videor operis divisionem ad ipsa fragmenta transferam. Experiamur igitur, stetne etiamnunc ratiocinatio nostra an cadat.

In initio totius operis ac primi libri pono novum fragmentum, Macrob. Comm. in Cic. Somn. Scip. I, 2, 21 (Janus): »Secundum haec Pythagoras ipse atque Empedocles, Parmenides quoque et Heraclitus de dis fabulati sunt nec secus Timaeus, qui progenies eorum, sicut traditum fuerat, exsecutus est.« At unusquisque videt Timaeum Locrum, non Tauromenitam significari! Macrobius certe philosophum voluit citare, sed evolvas Macrob. Sat. I, 1: »inclitum dialogum Socrates habita cum Timaeo disputatione consumit, quos constat eodem saeculo non fuisse.« Enimvero constat aequales fuisse Socratem et Timaeum Locrum: Macrobius, homo tam seri aevi, confudit scriptores eiusdem nominis. Accedit quod Tauromenita et ipse uberius de Pythagoreis egit;[1]) facillime igitur cum Pythagoreo homonymo potuit coalescere. Atque optime in initio operis historicus deorum mythologiam explicavit: Pythagoreus vix contentus fuerit progenies deorum, sicut traditum fuerat, exsequendo. Timaeus igitur in primo libro cosmogoniam ac theogoniam exposuit, in his fabulosis atque obscuris rerum primordiis magna cum oblectatione versatus.

Hoc quam verum sit, declarat fr. 25: vides Hyadum Pleiadumque progeniem exponi.

Tertio loco ponendum est fr. 152: deorum rerumque omnium originem exsecutus transit Timaeus ad homines eorumque antiquissima fata factaque suscipit enarranda.

Huc refero Herculem eiusque itinera per Italiam (fr. 10) et Siciliam (fr. 11); deinde Argonautas: in Colchide campus appellatur Circaeus (fr. 9); Argonautae per Tanaim, Oceanum, fretum Gaditanum, mare Tyrrhenum,

---

[1]) Roeth, Hist. philos. II, not. 306, 26.

Syrtes in Graeciam revertuntur (fr. 6); nuptiae Jasonis et Medeae in Corcyra celebrantur (fr. 8), quarum in memoriam etiamtum sacra fiebant (fr. 7). Hisce fabulis adicio fr. 4: Daphnis, Mercurii filius, eximia insignis pulchritudine, acerrimum mulieribus iniciebat amorem. Ex Timaeo Daphnidis fabulam receperunt Diod. Sic. IV, 84 et Aelian. V. H. X, 18. Adde Phaethontis interitum, ubi ignorantiam locorum conqueritur Polybius (fr. 41).

Totum deinde orbem terrarum descripturus Timaeus in primo Historiarum libro (fr. 18) Italiam collocavit, quippe quae in medio orbe antiquo sita videatur. Appellata est Italia de graeco vocabulo, quoniam boves graeca vetere lingua ἰταλοί vocitati sunt, quorum in Italia magna copia fuit (fr. 12 coll. Varron. De re rust. II, 5). Adiungitur Italiae historia antiquissima et incolarum simul regionumque singularum descriptio: Daunii Podalirium invocantes lavantur in Althaeno fluvio, qui salubrem habeat aquam (fr. 15); Dauniarum mulierum ornatus depingitur (fr. 14); Lydi ex Asia in Etruriam immigrant, duce Tyrrheno (fr. 19), summae autem dediti erant luxuriae (fr. 18); Troiâ captâ Diomedes ad Italiam appellit, sed a Dauno rege in mare proicitur (fr. 13). Hoc loco de Aeneae adventu multum fuisse Timaeum firmiter possumus asseverare: fr. 20 penates depingit Lavinios, fr. 21 Romam eodem anno, quo Carthaginem, vult conditam. Servius rex primus signavit aes: antea rudi usos Romae Timaeus tradit (fr. 22).

Verumtamen minime crediderim cum Mommseno (Chron. Rom. p. 131; Hist. Rom. I,^{5} p. 938) Romae et Carthaginis origines a Timaeo coniunctas esse ideo, quod Aeneas[1]) Romam condiderit simulque Dido Carthaginem. Timaeus fr. 23 Aeneae mentionem fecisset, si tralaticiam illam de Didone et Aenea fabulam iam novisset. Sed ille, qui Troiae interitum a. 1334 posuit,[2]) ne potuit

[1]) Saepissime laudat Timaeum cum de rebus Italis Siculisve tum de Aenea Klausen in doctissimo opere »Aeneas und die Penaten.« Ubi (II, p. 578—88) Timaeum Lycophronis fontem esse optime docuit, sed iniuria illi inde miram imposuit de origine urbis Romae opinionem.

[2]) Ex Mommseni calculo — nec non Schwegleri (Hist. Rom. I, p. 410, 20) — Timaeus Troiae incendium posuit a. 1193! Jam

quidem a. 814 Aeneam introducere, Troianos certe non multo post a. 1334 in Italiam fecit profectos; rettulit autem Romae et Carthaginis origines ad eundem annum, ut simultatem, quam vidit inter hasce gentes, usque ad initia produceret. Non facio cum Niebuhrio (Hist. Rom. ed. 1811, I, p, 188—9 et 205—6), qui deceptum esse Timaeum arbitratur: auxit consulto urbis Romae annos! Sequitur ut etiam singulorum regum annos auxerit: alioquin eum plus septem reges finxisse necesse esset. Quid vero? Num Timaeus, qui suam ipse chronologiam pertinaciter servabat, ingentem toleravit lacunam plus quingentorum annorum (1334—814)? Albanorum regum inventiuncula digna est, quae Timaeo tribuatur: abhorret a Romano scriptore, redolet Graeculum, qui paullisper in Latio versatus, unde potest, Latina nomina cogit, sed, ubi deficiunt, Graeca etiam securus addit. Atque numerorum concinnitas sapit Timaeum: septenarium regum Romanorum numerum, quem ut ab ipsis haud dubie Romanis acceptum non ausus est tangere, duplicat, ut Albanorum seriem efficeret iustam. Posteri, qui fabulam ex Timaeo receperunt, nomina quidem atque numerum regum Albanorum servarunt, sed annos singulorum coacti erant imminuere, normam secuti Troiae captae annum a Timaei aera prorsus diversum. Is vero sic fere historiam de Roma condita exhibuit: paullo post Troiae excidium (a. 1334) Aeneas Lavinium condit, Ascanius Albam; succedunt ceteri qui vocantur reges Albani; Amulius, Numitor, Romulus, Remus prodeunt in scaenam; Roma conditur a. 814, regnant subinde tralaticii reges septem (814—510). Timaeum agnoscis apud Aelian. N. A. XI, 16: adeo admiranda penatum descriptio (fr. 20) draconem redolet castum et pudicum; adeo congruunt inter se Aelianus (γνωρίζεταί τε ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων τὸ πραχθέν) et Dionysius (πυθέσθαι δὲ αὐτὸς ταῦτα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων)! Aelianus autem, qui quamvis Romae viveret stultum Timaei de dracone Laviniensi mendacium amplexus est, certe etiam de Roma condita Timaei praebet narrationem. Probe novit ille quidem Latinorum de Roma condita opiniones, quamquam ad Graecorum vel potius suam

---

igitur multo maior videtur illa, quae neque Klausenum fugit neque Mommsenum, numerorum discrepantia.

chronologiam et mythologiam eas accommodabat; primus Graecorum copiosius disseruit de Romae originibus, fabulam ita ferme iam constituit, ut postea narrabatur.[1]) Lycophronem de Romanis rebus ex Timaeo hausisse recte iudicant Schwegler (I, p. 200, 253, 413) et Preller (Myth. Rom. p. 671).[2]) Hae vero sunt Timaei historiae de rebus populi Romani oratione graeca compositae (fr. 12): Goeller p. 245 et Niebuhr (H. R. I, p. 29 et 31) revera separatum sibi fingunt opus »Historiae Romanae« inscriptum![3])

Pergit Timaeus meridiem versus: lacus Avernus (fr. 17) nihil fere praebet memorabile. Ad Campaniam pertinet fr. 16 de Pithecusis insulis; deinde fr. 99: Neapoli quotannis celebrabatur δρόμος λαμπαδικός. Reginorum et Locrorum fines nonnisi Halece fluvio separantur: apud Reginos tamen mutas esse cicadas, apud Locros canoras (fr. 64—5).[4]) Crathis, fluvius Sybarim praeterfluens, crines reddit flavos (fr. 63); non minus, quam Sybaritae, Siridis accolae erant effeminati (fr. 62).

Italiam postquam absolvit, secundo libro Timaeus in insulas traicit Italiae proximas. Homeri Planctae in freto Siculo sunt insulae Liparaeae (fr. 5). Atque Trinacriae nomen derivat a tribus promunturiis (fr. 1).[5]) Sicanos aborigines esse multis argumentis studet comprobare contra Philistum, qui ex Hiberia in Siciliam eos fecit profectos (fr. 2).[6]) Etiam in Sicilia montem et oppidum Atabyrium esse demonstrat (fr. 3). Huc adde raptum

---

[1]) Schwegler, Hist. Rom. I, p. 3 et 65; Lobeck, Aglaoph. p. 1241; Pauly Enc. I, 1, p. 384. Sed cfr. etiam Wachsmuth, Hist. Rom. p. 24—5.

[2]) Post Klausenum l. l.

[3]) Optime disputat Schwegler I, p. 6—7.

[4]) Adde Antig. Caryst. cap. 2. Strabonis sententia ab Antiocho diversa (Ant. fr. 10) Timaeo debetur. Deinde cfr. Pauly, Enc. II, p. 333!

[5]) Haud recte abiudicat Timaeo Alfonsus Hecker (Philol. V, p. 418) istud fragmentum Καλλίμαχος pro Τίμαιος scripturus, ne inepte historicus historicis opponatur; scholiasta Parisiensis, postquam et ipse Timaei mentionem fecit, legisse videtur Ἄλλοι δὲ ἱστορικοί, quippe qui habeat κατὰ δέ τινας τῶν ἱστορικῶν. Cfr. Strabon. VI, cap. 2.

[6]) E. G. Fischer, Antiquae Agrigentinorum Historiae. Diss. Berol. 1837 p. 10—11. Pauly Enc. VI, 1, p. 1160. Cum Philisto facit Ephorus (Marx. p. 153).

Proserpinae apud Cic. Verr. IV, § 106 vel Diod. Sic. V, 2—4, quorum uterque, ut docet Schwabe (Philol. a. 1870 p. 337), exscripsit Timaeum. Camerina (fr. 91 a) conditur ol. 42: genuinum est enim, id quod ipsa verborum collocatione commendatur, συνῳκίσθη ἡ Καμαρίνα κατὰ τὴν μβ' Ὀλυμπιάδα, ὥς φησι Τίμαιος.[1]) — Sardiniam Timaeus Sandaliotin appellavit ab effigie soleae (fr. 27). Risum Sardonium ad insulam Sardiniam refert, quia senes ab ipsis filiis caesi risum edere solent moribundi (Schol. Platon. Resp. p. 347, fr. 28 et 29; cfr. Demon. fr. 11).[2]) — De Corsica Timaeus ἐν τῇ δευτέρᾳ ex Polybii quidem iudicio mera mendacia protulerat (fr. 26).

At vero descripta Sicilia, Sardinia, Corsica in continentem ascendit, Massiliae originem (fr. 40) et nomen (fr. 39) illustrat.[3])

Galliam Timaeus primus descripsit accuratius (Pauly Enc. III, p. 592): Rhodanum quinque ostia habere affirmabat (fr. 38);[4]) Galatiae nomen derivat a Galato Cyclopis et Galateae filio (fr. 37); aestuum accessum et recessum explicat ex fluviorum vi in mare Atlanticum procurrentium (fr. 36).

Prope Britanniam in insula quadam candidum plumbum provenit (fr. 32); in aliam insulam veris tempore electrum eicitur fluctibus (fr. 33); in Basilia insula in-

---

[1]) Nimirum Timaeus non tertiam Camerinae instaurationem, ut scholiasta, sed primordia omnino Camerinae posuit a. 612—609, paullulo ante tralaticium tempus (a. 599); cetera verba ipsi scholiastae condonanda sunt.

[2]) Fragmentum quoddam de situ Sardiniae (Nat. Com. I, cap. 18, ed. Patav. 1637 p. 30), cuius mentionem iniciunt Ukert (Geogr. Graec. et Rom. I, 1, p. 133) et Forbiger (Geogr. ant. I, p. 159), nihil est nisi fr. 28 latine versum.

[3]) Raoul-Rochette, Col. gr. III p. 408—13; Brueckner, Hist. reipubl. Massiliensium p. 8—11; Grote II, p. 313, 115. — Timaei numerus exstat apud Solin. II, 52 (p. 47 Mommsen): »at ex altera parte (Italicus excursus) per Ligurum oram in Narbonensem provinciam pergit, in qua Phocaënses quondam fugati Persarum adventu Massiliam urbem olympiade quadragesima quinta condiderunt.« Num recte Brueckner errorem de Persarum adventu iacit in Solinum?

[4]) Timaeum sequitur Avienus Or. marit. v. 678 (Wernsdorf, Poet. lat. min. V, 3, p. 1288; Pauly Enc. I, 2, p. 2150). Sed Plin. III, 4, 33 (Sillig I, p. 221) tria Rhodani ora exhibet, non quinque, ut ait Mueller.

colae pro ligno ad ignem utuntur succino (fr. 34).[1]) — Hispaniam tangit Timaeus fr. 30: Baliarium maiorem maximarum insularum numero haberi; antiqui Baliarium coloni Boeoti fuerunt (fr. 31); fr. 35 est de ora Hispaniae Gaditana. — Denique in Africam descendit: Libyam arenosam, siccam, sterilem esse narraverat, Polybio quidem iudice veritatem minime consecutus (fr. 24). Carthaginem primus conditam fecit a Didone (fr. 23).

Timaeus quin Cyrenes originem enarrarit, vacat dubitatione. Namque Eusebius de tempore conditae Cyrenes, quippe qui ter adeo, ann. ante Chr. n. 1333, 758 et 631 huius rei faciat mentionem, duos aperte commiscet fontes, quorum alteri a. 758, alteri a. 631 debetur. Tertius numerus, 1333, facile explicatur, si recordamur Timaei aeram Troianam fuisse a. 1343—34. Quoniam Cyrenes originem Timaeus haud dubie inde a bello Troiano constituerat, Eusebius aeram Troianam coniunctam invenit cum aera Cyrenes conditae. Ex illis vero numeris maiorem, a. 758, Timaeo deberi existimo.

Rectissime Meineke Timaei nomen desideravit Steph. Byz. s. v. Χάλκεια (p. 681, 13). Neque tamen cum Stiehlio scripserim: ὡς Δημοσθένης καὶ Τίμαιος, ᾧ μεμφόμενος Πολύβιος κτλ. Demosthenes,[2]) rerum Bithyniacarum auctor, pertinet ad vocem antecedentem Χαλισία: ἔστι καὶ ἄλλη πρὸς τῷ Πόντῳ, μία τῶν Ἀμαζόνων, ἧς οἱ οἰκήτορες Χαλίσιοι, ὡς Δημοσθένης. Nostrum vero locum sic restituendum puto: Χάλκεια, πόλις Λιβύης. ὁ πολυίστωρ ἐν Λιβυκῶν τρίτῳ. Τιμαίῳ μεμφόμενος Πολύβιος ἐν τῷ δωδεκάτῳ ὧδε γράφει· ἀγνοεῖ δὲ μεγάλως καὶ περὶ τῶν χαλκείων· οὐδὲ γὰρ πόλις ἐστὶν, ἀλλὰ χαλκουργεῖα. In his quae Timaeus secundo libro exposuit, Pseudoaristotelem (περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων) et Diodorum Siculum (lib. V.) eius vestigiis ingredi demonstrat C. Muellenhoff,[3]) postquam

---

[1]) Christ (Act. acad. Monac. vol. XI, a. 1868, p. 148 et 183) in hisce regionibus septentrionalibus describendis Pytheam esse Timaei fontem demonstravit.

[2]) Perperam cogitat Westermann de Callisthene, Geier de Timosthene, Mueller de Demochare (Scriptores rerum Alex. M. coll. C. Mueller p. 26).

[3]) Deutsche Alterthumskunde, Berol. 1870, vol. I, p. 425—91.

apud Pseudoaristotelem Val. Rose[1]) et Herm. Schrader[2]) Tauromenitae vestigia deprehenderunt. Timaeum deinde exscripsit Posidonius Apamensis, Ciceronis magister, qui quidem, cum congruat saepius cum Diod. Sic. lib. IV. et V. eodem usus est adminiculo, quo Diodorus (FHG III, p. 252—75); — neque minus Lycus Reginus (fr. 13) et Nymphodorus Syracusanus (fr. 105); cfr. FHG II, p. 370—81. Denique Movers (Phoen. II, 2, p. 152) Timaeum agnovit Apion. fr. 3 (FHG III, p. 509), ita quidem ut Apion Timaei sententiam perturbarit.

Quinam autem ipsius fuit fons primarius in hisce libris prioribus? Hippym Reginum intellego, de quo Suidas: ἱστορικός, γεγονὼς ἐπὶ τῶν Περσικῶν, καὶ πρῶτος ἔγραψε τὰς Σικελικὰς πράξεις, ἅς ὕστερον Μύης ἐπετέμετο, κτίσιν Ἰταλίας, Σικελικῶν βιβλία ε', χρονικὰ ἐν βιβλίοις ε', Ἀργολικῶν βιβλία γ'. De Myete quoniam omnia nescimus, scribendum propono Τίμαιος, fretus duobus Antigoni Carystii locis, Tim. fr. 64 et Hipp. fr. 5 (FHG II, p. 14): illic auctorem Reginum poscimus; hic Timaeum redolet olympiadis mentio.

Tertio libro transit Timaeus in Graeciam (fr. 48), cui describendae etiam quartum librum tribuerat (fr. 98).

Ac tertii libri primo loco ponendum videtur fr. 42: Illyriae chersonnesus Hyllica a Graecis habitatur quamvis efferatis. Timaeus de Corcyra disserens (fr. 54) Phaeacum originem eodem modo videtur enarrasse atque Acusilaus (Acus. fr. 29). Corinthii Corcyram occupant a. 734 (fr. 53); Epirus describitur (fr. 43). Heraclidarum migrationem statuit Timaeus octingentis viginti annis antequam Alexander in Asiam traiceret (fr. 153).[3]) Spartanorum instituta tractantur fr. 47. Fr. 44 disiungo: de Spartanorum ludis musicis disputatur fr. 44 b. Ad universos Graecos spectant fr. 158 (antiqui utebantur talento viginti quattuor drachmarum) et fr. 157 (de ca-

[1]) De Aristotelis librorum ordine et auctoritate, Berol. 1854 p. 54—6; Aristoteles Pseudepigraphus, Lips. 1863, p. 255, 258 sq., 280 sq., 327—71.

[2]) Jahn. annal. 1868, p. 217—32.

[3]) Egregie Mendelssohn p. 186 mysticum quendam conexum docuit inter Troiae excidium (1334) et Alexandri expeditionem (334), millenario scilicet numero interiecto inter ambas Graecarum, quibus Asiam ulciscerentur, expeditiones celebratissimas.

pillorum habitu Hectoreo).[1] Sed fuse lateque versatur Timaeus in Corinthiorum urbe opulentissima: servorum habebant Corinthii quadringenta sexaginta milia (fr. 48), architecturâ excellebant (fr. 50).

Jam ad quartum librum provehimur: Timaeus contendit ἐν τῇ τετάρτῃ (fr. 98) mortuum esse Empedoclem in Peloponneso, etsi nusquam ipsius sepulcrum inveniretur. Ex Deli descriptione aetatem tulit fr. 79. Lycurgus mortuus est in Creta (fr. 46); a Cretensibus puerorum amor ad Graecos pervenit (fr. 44a).[2]

Quidnam restat nisi ut Timaeus in quinto libro ceteras terras peragrarit, quaecumque ex Graecia ad solis ortum iacent? Atque unum ex hoc libro videtur servatum fr. 49: agitur de Achilleo, Tróadis oppidulo. Plurima autem interierunt, quae Timaeus de Asia scripserat atque Aegypto.[3]

Hoc fuit primum prioris partis caput; sequitur secundum, Syracusarum descriptio. Huc pertinere fr. 55,[4] 56,

---

[1]) Timaeus quomodo Dauniorum et Peucetiorum originem Troianam illustrarit, probat Hesychius (ed. Schmidt II, p. 54).

[2]) Becker, Charicles II,[2] p. 203—6.

[3]) Apud Diod. Sic. II, 20, 3 (de Semiramide) Ἀθήναιος certe est Τίμαιος. Hausit vero Asiae Aegyptique historiam et descriptionem ex Dinone, Clitarchi patre (FHG II, p. 89): Aelianus Dinonis nomen a Timaeo accepit.

Falso referunt Ukert (II, 1, p. 51) et Forbiger (I, p. 159) Plin. 5, 55 et 56 de Nilo eiusque fontibus ad nostrum Timaeum, ubi revera mathematicus ille a nostro est alienus. Neque enim persuasit mihi Brunn (De auctorum indicibus Plinianis, Bonn. 1856 p. 9) Timaeum historicum et mathematicum esse eundem: nihil magis abhorrebat ab indole historici quam ars mathematica. Sed concedo Timaeos a Plinio acute non esse distinctos: ita factum est, ut Otto Schneider (Sillig. vol. VIII, p. 389) Plin. 2, 38, ubi epitheton non adest, falso ad historicum rettulerit. Atque etiam fr. 156 (Aelian. H. A. XVII, 15) historico abiudicandum est. Baehr (Pauly Enc. VI, 2, p. 1969) falso Plinianum Timaeum mathematicum putat eundem esse ac Timaeum Locrum. Immo vero ex illis quae Suidas praebet Timaei Locri scriptis, cum liber περὶ τοῦ Πυθαγόρου βίου ad Tauromenitam pertineat, μαθηματικά mathematico tribuenda esse facile persuadetur.

[4]) Hultsch p. 859: αὐτὸς γοῦν τηλικαύτην ὑπομεμενηκέναι δαπάνην καὶ κακοπάθειαν τοῦ συναγαγεῖν τὰ παρ' Ἀσσυρίων (Vat. ἀστυρίων) ὑπομνήματα καὶ πολυπραγμονῆσαι τὰ Λιγύων ἔθη καὶ Κελτῶν, ἅμα δὲ

51, 52 et Cic. reip. III, 31 supra demonstravimus. Addendum erit Antig. Caryst. c. 155 (Goeller p. 303).

Elucet hanc priorem partem Polybio obversatam esse dicenti: καὶ μάλιστα ταύτην γ' ἐνείργασται τὴν δόξαν ἐκ τῶν περὶ τὰς ἀποικίας καὶ κτίσεις καὶ συγγενείας ἀποφάσεων; ipse enim Polybius haec τοῖς τούτου πρώτοις ὑπομνήμασιν narrata fuisse refert. Ad hanc deinde partem attinet Vitruv. VIII, 3, 27 (p. 223 Schneider): »Theophrastus, Timaeus, Posidonius — magna vigilantia et infinito studio locorum proprietates, regionum qualitates, aquarum virtutes ab inclinatione caeli ita distributas esse scriptis declaraverunt.« Una autem restat dubitatio, sitne genuinus Suidae titulus Ἰταλικὰ καὶ Σικελικά, quoniam non modo Italia et Sicilia, sed totus terrarum orbis descriptus erat. Verum Italia in medio orbe est collocata: ceterae terrae omnes quasi artificio quodam et consilio circum sunt positae. Hunc igitur opportunum Italiae situm, quem natura praebebat, Timaeus adhibuit, ut suam orbis terrarum topographiam ad certum quendam terminum revocaret: ex Italia quaenam terrae occidentem versus, quaenam ad orientem iacerent, constituit. Quare haud inepte ipso titulo haec eximia Italiae opportunitas comparet.

Priorem vero Historiarum partem tibi fingas quaeso scatentem miraculis, fabulis, superstitionibus; quamobrem Timaeus omnium mythographorum et paradoxographorum fons fuit uberrimus, veluti Isigoni (Isig. fr. 19 = Tim. fr. 63; cfr. FHG IV, p. 435—7) et Cononis (Conon. narrat. 5 = Tim. fr. 64 et 65; cfr. Westermann, Mythogr. p. 124—51). Nonnihil ex Timaeo habet Hyginus (Hyg. fab. ed. M. Schmidt, Jenae 1872, p. 122, 19).

Non omni carebat Timaeus autopsia, quandoquidem longinqua fecit itinera ac primum quidem Athenas, ubi litteris se dederet artibusque adulescens.[1]) Reliquam

---

τούτοις Ἰβήρων, ὥστε μηδ' ἂν αὐτὸς ἐλπίσαι μήποθ' ἑτέροις ἐξηγούμενος πιστευθῆναι περὶ τούτων.

Probo Hultschii coniecturam; sed quoniam libro quinto de Assyriis locutus est Timaeus, supersedere possumus ceteris Hultschii suspicionibus.

[1]) Athenis Philiscum audivit Milesium, Isocratis discipulum, cuius scholam resipit fr. 97: sane Timaeus orationem, quam iuvenis aliquando coram magistro habuerat, ineptissimo loco historiis

tum Graeciam peragravit: Locros se visitasse profitetur fr. 68; deinde Argos, Spartam, Olympiam profectus est, ubi ex tabellis publicis nomina et tempora enuclearet. Relicta autem Graecia in Italiam se contulit: Locris Epizephyriis Echecratem quendam convenit (fr. 68);[1]) certe Lavinium (fr. 20), fortasse Romam vidit. Denique in Siciliae urbibus eum versatum esse colligitur fr. 112: Agrigenti se fuisse ipse refert.

Laudo Prellerum, qui primus (praef. ad Polemon. p. 70; Rom. Myth. p. 548) haec agnovit Timaei itinera: Mommsen (I[5], p. 472) Timaeum in Italiam venisse infitiatur. Sed ne ipse quidem Tauromenita dicit vidisse se penates,[2]) dicit haec se audisse ab incolis. Atque profecto quae fr. 16 narrat ab ipsis incolis audierit necesse est; deinde autopsiam redolet fr. 17.[3]) Equidem vel

---

videtur inculcasse. Sed Philiscus suos ad strenuam historiae scribendae rationem non instituit, quia Neanthes Cyzicenus (FHG III, p. 2—11), et ipse eius discipulus, isdem ineptiis studebat atque Timaeus.

Ex Philisci schola fortasse prodiit Hegesias quoque rhetor idemque historicus, qui fabulam de Alexandro (fr. 137) recoxit. Hegesias, ut Neanthes, Timaeum expilavit; nam quod Ruhnkenius (Opusc. I, p. 381) memoriae lapsum imputat Ciceroni, qui ob simile ineptiarum studium Hegesiam et Timaeum confuderit, minime speciem prae se fert probabilitatis.

Nitide descriptas fuisse Timaei historias probat Cicero de orat. II, 14, 58: »Timaeus — longe eruditissimus et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.« Vox illa ἀνύποιστος, cui explicandae veteres grammatici operam navarunt (fr. 60; Hesych. ed. Schmidt vol. V, p. 174; Steph. thes. s. v.), insolentius fortasse, sed lege artis est composita. Denique acerbum meum de Timaeo historico iudicium non valet ad Isocrateum.

[1]) Echecrates, cuius pater Dionysii tyranni fuit legatus, neutiquam maior ille est Echecrates Pythagoreus, quem vult Baehr (Pauly Enc. III, p. 9), sed νεανίσκος, Phrynionis filius, de quo scribit Pseudo-Plato ad Archytam (ep. IX, Hercheri epistologr. graec. p. 527).

[2]) Haud accurate loquitur Schwegler I, p. 304; cfr. Kuschel (De fontibus et auctoritate Dionysii Hal., Diss. Vrat. 1846 p. 33) et Gerlach-Bachofen (Hist. Rom. I, p. 161—2).

[3]) Cfr. etiam G. Curtius, Etymol. Graec.[4] p. 208. Atque fr. 151 Timaeus ipsius popelli Romani reddidisse videtur opiniones, de quibus Fest. p. 178 et 181 (C. O. Mueller): »October equus appellatur, qui in campo Martio mense Oct. immolatur quotannis, ut vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur, quod Romani

Massiliam venisse Timaeum ausim contendere. Adeo enim gloriatur (fr. 55) se de Celtarum, Ligurum, Hiberum moribus institutisque multo accuratius anquisivisse quam ceteros omnes, ut nusquam alibi nisi Massiliae de regionibus illis explorasse putandus sit. Accedit quod copiosius de Massilia disseruit (fr. 39 et 40); indidem Pytheae Massiliensis libros (fr. 34) secum portavit in patriam. Denique ne Polybius quidem dubitat (fr. 68), quin Timaeus ad Locros pervenerit, dubitat de veritate eorum quae ibi vidisse vel audisse sese Timaeus autumabat. Itaque miror, quod alio quodam loco Polybius nihilosetius omnem Timaeo abiudicavit autopsiam.[1])

Inde ab nono libro incipit secunda Historiarum pars, ubi quid egerit Timaeus, dilucide indicant Polybius λοιπὸν δὲ τὸ π ρ α γ μ α τ ι κ ὸ ν αὐτοῦ μέρος τῆς ἱστορίας et Suidas Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικά: postquam geographiam[2]) atque res simul antiquissimas tractavit, ad recentiorum temporum historiam pragmaticam se accingit maximeque res Graecas et Siculas artissime tum coniunctas complectitur.[3])

Ilio sunt oriundi et Troiani lignea effigie equi sint capti.« Cfr. Mommsen, Unterital. Dialekte p. 94—5.

[1]) Probo Polybii de Timaeo arbitrium, tamen exceptis iis quae nimia vituperandi abreptus rabie peccavit ipse Megalopolita. Jure enim loquacitatem Polybii monet Fuchs (Pauly Enc. V, p. 1815); conferas deinde velim Brandstaeterum (De Aetolis, Berol. 1844, p. 239—40). Non vidi: A. Geffroy, De Polybiano circa Timaeum Tauromenitam iudicio (Paris 1848).

[2]) Niebuhr, Kl. Schrft. I, p. 106.

[3]) Operae pretium non est innumerabiles de Suidae titulis opiniones refutare: quot capita, tot fere sententiae!

Vossius, Joecher et Bayle adeo haerent in Suidae verbis, ut prorsus separata fuisse opera censeant Ἰταλικὰ καὶ Σικελικὰ libris VIII et Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικά: in priore exposuit Timaeus res Siculas, quatenus permiscentur rebus Romanis; in altero egit de bellis inter Graecos et Siculos.

Sed iam Bayle aliquam movere coepit suspicionem. Heeren, Goeller, Westermann (ad Vossium), Matthias de Vries (De historia Polybii pragmatica, Lugd. Bat. 1843 p. 112—3) omnem infitiantur partitionem, Suidam contemnunt: citantur plerumque Timaei Sicula, in quibus tamen simul de rebus Italicis et Graecis loqui et potuit et debuit, cum tot vinculis gentes hae essent coniunctae. Non valde discrepat Nouv. Biogr. générale: »Ce fut pendant son éxil qu'il écrivit une histoire de Sicile depuis les temps les plus anciens jusqu'à l'an 264. Cet ouvrage qui comprenait environ

Etiam secundam partem in duo capita divisam fuisse novimus: caput prius continet libros IX—XXXIII.

Atque nono libro (fr. 67) Timaeus revertitur in Italiam: Locrorum Epizephyriorum origines, mores, leges copiose enarrat (fr. 67—73)[1]) Aristoteli adversatus, qui Locros a servis fugitivis ortos esse tradiderat; ne licuisse quidem ait apud Locros antiquitus servis uti, iustam esse illam et legitimam coloniam foedere iunctam cum patria. Ac ne Zaleucum quidem Locrorum legumlatorem fuisse concedit: civitatem prorsus dissolutam ut servorum et moechorum apud Aristotelem Zaleucus legibus adornat, apud Timaeum Locri ut iusti coloni leges ex patria secum ferunt nec statim egent legumlatore.[2]) Nulla est Tauromenitae auctoritas contra Aristotelem[3]): frustra Timaei de Zaleuco sententiam conatur comprobare Bentley,[4])

---

quarante livres traitait des divers pays avec lesquels la Sicile s'était trouvée en rapport, c'est-à-dire d'abord l'Italie, puis la Grèce, à partir des guerres médiques et surtout de l'expédition d'Athènes contre Syracuse.« Prorsus confusa sunt, quae de Timaei operibus narrat Hisely (Disquisitio critica de fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis, Delphis Bat. 1827 p. 93—5).

Mediam deinde viam ingressi sunt Schoell, Forbiger, Arnoldt, Suidae titulos promiscue usurpari posse opinati, mox Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικά, mox Ἰταλικὰ καὶ Σικελικά: idem videtur Schaeferi arbitrium. Dubitat autem ipse Arnoldt, an Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικά e margine in textum irrepserit. Atque Clinton Ἰταλικὰ καὶ Σικελικὰ ἐν βιβλίοις η' ad Pyrrhi bella refert, id quod iam Vossio non admodum verisimile videbatur: magnum Timaei opus (Dionysii »κοιναὶ ἱστορίαι,« Ciceronis »perpetuae historiae«) ex Clintoni quidem arbitratu a Suida appellatur Ἑλληνικὰ καὶ Σικελικά. Secundum Schmidtium, Muellerum, Creuzerum et Westermannum (Pauly Enc.) Suidae tituli partium sunt inscriptiones, quarum complures fuerunt hodie ignoratae: Creuzer perperam totum opus Σικελικά vult inscriptum fuisse, Mueller recte Ἱστορίαι.

[1]) Luchtii Campiique (Philol. Anz. 1869 p. 99) coniecturam (fr. 72) τοῦτο δὲ Τίμαιος ἐξιστόρηκεν, ὡς κτλ. (vulg. τοῦτο δέ τις ἐξιστόρηκεν, ὅτι) non probo: equidem in Polybii verbis traditis non offendo.

[2]) Caduca est Marxii (p. 67, 30) suspicio: minime contra Ephorum, sed contra Aristotelem contendit Timaeus nunquam fuisse Zaleucum.

[3]) FHG II. p. 173—4. Aristoteli succurrit Theophrastus, auctor Timaeo haud deterior — meliorem multi nominant (Cic. de legg. II, 6, 15).

[4]) Opusc. phil. p. 337.

cui optimo iure impugnant Fabricius,[1]) Heyne,[2]) Westermann,[3]) Grote,[4]) Mullach;[5]) frustra excogitavit Raoul-Rochette,[6]) ut sententias Aristotelis et Timaei coniungeret, duas colonias a Locris eodem loco diversis temporibus conditas. At enimvero non intellegitur, cur Timaeus nono libro revertatur ad eandem rem, Locrorum originem, quam sine ulla dubitatione iam primo libro enarraverat. Timaeus autem minime ut solet superbo quodam fastidio Aristotelis sententiam irridet, immo furibundus invehitur in adversarium, acerrime decertat, undique argumenta cogens ac documenta, ut illum profliget: denique sententiam iam antea prolatam contra Aristotelem defendit, labefactatam novis fulcris firmat! Timaeus primam Historiarum partem in publicum daturus Aristotelis opiniones nondum noverat; nactus vero eius politias, in initio secundae partis suam sententiam auctoritate illius explosam pertinaciter confirmavit! Opitulantur huic coniecturae tempora: ante Aristotelis mortem (a. 322) opera eius Syracusas translata fuisse vix cuiquam persuadetur; Timaeum vero Syracusarum descriptionem Syracusis confecisse cuinam non videtur probabile? Paullo post Aristotelis obitum ab Agathocle pulsus[7]) Athenas fugit, ubi Stagiritae opera facillime poterat adipisci; Athenis igitur contrariam illius sententiam cognovit, priorem Historiarum partem (lib. 1—8) Syracusis, posteriorem (lib. 9—68) Athenis composuit. Neque omnino dubitari potest, quin fr. 66, ubi Aristotelis mentio nondum inicitur, tertio libro tribuendum sit. Sed profecto Aristoteles Timaei libros priores ante oculos habuit (Tim. fr. 54, 56, 62) atque contra Timaeum Mnasonis amici testimonium advocasse videtur (fr. 67). Unde Historiarum libros I—VIII ante a. 322 publicatos esse apparet.

---

[1]) Bibl. graec. I p. 533.
[2]) Opp. acad. II, p. 46—73 de Locris ac Zaleuco.
[3]) Pauly Enc. VI, 2, p. 2816.
[4]) II, 299, 75.
[5]) Fragment. philos. Graec. II, p. XLI.
[6]) Col. gr. IV p. 91.
[7]) Exsulabat Timaeus a. 317—267; etenim ut primum Hiero ascendit in solium (a. 269), revocatus esse videtur, quoniam Justin. XXIII, 4 fabulosas blanditias Hieroni adspergit, quas iniuria Timaeo abiudicat Plass (Tyr. II, 307).

Hac de Locris disputatione absoluta secundae partis initium cepit Timaeus ab anno 569: Pythagoras Sami natus magna fecit itinera, denique a. 509 in Italiam migravit; cuius quidem obtemperantes consiliis Itali omnia habebant communia (fr. 77).

Fugit Muellerum Schol. Platon. Phaedr. p. 319: φησὶ γοῦν ὁ Τίμαιος ἐν τῇ ε΄ οὕτω· προσιόντων δ' οὖν αὐτῷ τῶν νεωτέρων καὶ βουλομένων συνδιατρίβειν, οὐκ εὐθὺς συνεχώρησεν, ἀλλ' ἔφη δεῖν καὶ τὰς οὐσίας κοινὰς εἶναι τῶν ἐντυγχανόντων. εἶτα μετὰ πολλά φησι· καὶ δι' ἐκείνους πρῶτον ῥηθῆναι κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὅτι κοινὰ τὰ τῶν φίλων. Libro quinto quoniam Timaeus de Italia non locutus est, coniecturam ἐν τῇ ιε΄ (Bernhardy Suid. II, p. 429,7) libenter amplecterer, si mihi persuaderem Timaeum de eodem homine eandem fabulam isdem verbis repetiisse libr. IX. et XV. Quare pro ἐν τῇ ε΄ scribendum videtur ἐν τῇ θ΄ lenissima mutatione.

Diodorus Aspendius, ipsius Timaei aequalis, Cynicam vitam contaminavit cum pristina Pythagoreorum disciplina (fr. 80).[1] Epimenides apud Timaeum Pythagorae scholis intererat (fr. 45). Mulieribus nomina dearum tribui dicebat Pythagoras (fr. 83). Ipsius vero filia, ut pater viros, feminas regebat aequales (fr. 78). Quae cum ita duobus libris (IX et X: fr. 80, 77, 83) exposuisset, Timaeus impugnavit Heraclito, qui Pythagoram vaniloquum esse contenderat (fr. 80 a).

Traicit deinde in Siciliam ad Gelonem, cuius pueritiam miraculis insignem fuisse fabulatur (fr. 84 a). Pugna ad

---

[1]) De fr. 80 quae apud Schweighaeuserum (Animadv. in Ath. II, p. 568—9) exstant, non placent. Sane quidem Stratonici verba, quae hic describuntur, titulus esse videntur atque ἐπιγραφὴ epistulae, quam Diodoro mittebat; sed nec ipsa Stratonici nec Timaei verba traduntur: genetivus ille, qui non habet, quo referatur, non a Timaeo profectus est, sed ab Hermippo. Scripserat enim Hermippus: καὶ Πυθαγορικὸν τὸ τῆς κόμης ἔδοξαν εἶναί τινες προαχθὲν ἀπὸ τοῦ Διοδώρου, τοῦ τὸ γένος Ἀσπενδίου, τὴν ἐξηλλαγμένην εἰσαγαγόντος κατασκευὴν, καὶ τοῖς Πυθαγορείοις πεπλησιακέναι προσποιηθέντος, ὡς Τίμαιος ὁ Ταυρομενίτης ἐν τῇ ἐννάτῃ τῶν Ἱστοριῶν περὶ αὐτοῦ γράφει. Athenaeus nostri historici verba ex Hermippo novit, qui Timaeum sequitur Tim. fr. 93, sed multa omnino (FHG III, p. 35—54) illi debet. Adeo autem dilucescit rhythmus dactylicus, ut olim disticha epistulae inscripta fuisse crediderim. Hanc enim numerosam in Stratonici verbis granditatem divinavit Meineke (Ex. in Ath. II, p. 8—9), cuius tamen coniecturas non probo.

Helorum facta, cui Gelo interfuit Hippocratis tyranni magister equitum, libro decimo erat enarrata (fr. 85). Mox Gelo ipse Gelae tyrannus factus Syracusas expugnat magnamque Siciliae partem subigit; cui Theron, tyrannus Agrigentinorum, Demaretam filiam in matrimonium dedit (fr. 86). Haec tempora libros XI et XII obtinebant; nam libro XIII (fr. 107 et 105) disputatur de Hycaris: sita fuerunt Hycara prope Panhormum, ubi naves appulerunt Poeni Graecos in Sicilia aggressuri eodem tempore, quo Xerxes in ipsam Graeciam invasit; Hycarenses igitur aliquatenus huic bello interfuisse, Himeraeam pugnam, qua Gelo Poenos ad internecionem devicit, libro XIII. enarratam fuisse satis probabile videtur.

De fr. 106 haud liquet: mihi quidem auctoris cuiusdam nomen videtur excidisse, qui contra Timaeum Laidem Eucarpiae, non Hycaris, natam fecerat. Addendum est: τὸ ἐθνικὸν Εὐκαρπεύς. δυνατὸν δὲ τὸ τῆς Σικελίας Εὐκαρπιανὸς καὶ Εὐκαρπιάτης καὶ Εὐκαρπίτης. Copiosius igitur egerat de Eucarpia, Siciliae castello, Stephani auctor; quocirca nec Stephanus Εὐκαρπία falso pro Ὕκαρα legisse nec Timaeus artificiose partem tantummodo Hycarorum significasse putandus est. Illa est Berkelii opinio (III, p. 712) etiam Jacobsio probata, haec Holstenii (II, p. 257—8): Meineke p. 285, Holstenii lacunam amplexus (ἐν τοῖς λεγομένοις — Τίμαιος), quomodo explenda sit non addit. Verum enimvero neutiquam Timaeus nunc Hycaris nunc Eucarpiae natam voluit Laidem; Eucarpiam vero oppiduli fuisse partem nihil est nisi Holstenii commentum.

Libro XIV. Gelo Carthaginiensibus pacis tulit condiciones (fr. 89). Cum Xerxes Graecis arma inferret, repudiatum esse Gelonis auxilium, qui vel terra vel mari summam imperii posceret, aegre ferebat Timaeus (fr. 87): Corinthiae puellae a Venere victoriam impetrant (fr. 57); Pausanias proditionis coargutus fame necatur (Aelian. V. H. IV. 7);[1] Gelo moritur (fr. 84).

Breviter atque obiter Timaeus res Graecas tetigit, quia eodem libro quinto decimo in Siciliam redit Hieronis temporibus operam daturus. Vidit Volquardsen p. 90

---

[1]) Hic Ἐπιτιμίδης certe Timaeus est (cfr. fr. 113): Aelianum permulta ex Timaeo prompsisse evincitur N. A. VI, 62 et XIII, 1, ubi singula Timaei recognoscis verba (fr. 84a).

Diod. XI, 48 ex Timaeo (fr. 90 = Schol. Pind. Ol. II, 29) hausisse recteque contendit scholiastam loqui non accurate, qui paullisper repugnet Diodoro; perperam autem opinatur post a. 510 revera Sybarim quandam fuisse novam. Deletur tum demum Sybaris apud Timaeum a Crotoniatis intra annos 478—67: Hiero Polyzelum ut perderet fratrem Sybaritis mittit auxilio; is vero fugit ad Theronem, Sybaris destituitur.[1]) Eodemque modo Xenophanes Hieronis aequalis fit ex Timaei chronologia (fr. 92).[2]) Timaeus igitur libro XV. Sybaritarum depingit luxuriem (fr. 58—61), cum urbs ipsa funditus deleretur.[3]) Sed mox etiam Crotoniatae mollitiei se dedunt (fr. 82).[4]) Empedocles nascitur (fr. 93). Hieronis deinde magnificentiam perspicis fr. 91, 154, 155; ubi de Pindaro Timaeum multum fuisse fragmenta probant. Dinomenes Hieronis fuit filius (Phil. fr. 45).

Libro XVII. Empedocles iuvenis Pythagoram auscultat (fr. 81), Socrates puerulus artem statuariam discit (fr. 100). Libro XVIII. Empedocles ventos perniciosos prohibet (fr. 94).[5]) Qui in re publica gerenda libertatis erat amantissimus (fr. 88 a), tamen a magniloquentia non alienus (fr. 88).[6])

Jam vero Gorgias Leontinus Atheniensibus persuadet, ut Leontinis contra Syracusanos opem ferrent (fr. 95). Inde eloquentia efflorescit Athenis;[7]) tamen Lysiam Syracusanum fuisse edocemur (fr. 96). Athenienses expe-

---

[1]) Rem non perspexit Hense (De Hierone I., diss. Monast. 1862, p. 18—19) Polyzelum a fratre ad Sybarim restituendam missum esse ratus. Cfr. deinde Pauly Enc. III, p. 1297.

[2]) Timaeum agnoscis apud Conon. narrat. 42: Stesichorus fabellam de equo et cervo contra Gelonem recitavit!

[3]) Verissime Theophilus Roeperus Ath. XII, p. 518 f loco Timonis se Timaei nomen requirere indicavit Meinekio (Ex. in Ath. II p. 22). Deinde fr. 59 multo plenius exhibendum est usque ad finem cap. 15.

[4]) Krause, Olymp. p. 45, 28 b; Grote II, p. 380.

[5]) Zeller I p. 606.

[6]) Karsten p. 17. — Vides autem optimo iure Diogenis illud ἐν τῇ πρώτῃ καὶ δευτέρᾳ ad duas partes referri, quia Timaeus in libro quarto (fr. 98) de Empedocle locutus est. Neutiquam libros intellegendos esse cernitur ex Muelleri inopia, quamquam et ipse numerum binarium ad librum decimum revocat.

[7]) Diod. Sic. XII, 53.

ditionem mittunt in Siciliam; sed Hermocrates Siculorum concordiam reconciliat (fr. 97).[1])

Alcibiades a Timaeo laudatur, id quod admodum miratur Nepos (fr. 101).[2]) Ad Hermocopidas pertinet Plut. Alcib. c. 21: Plutarchus Andocidis socium, quem ipse Andocides Charmidem vocat, appellat Timaeum. Perperam Wachsmuth (Antiqu. I, p. 629) et Westermann (Hist. eloqu. I, p. 65, 7) Andocidem et Plutarchum componunt quasi auctores eiusdem auctoritatis:[3]) Grote (IV p. 156, 66) aliquam movet suspicionem. Neque enim semper Plutarchus ipsum Timaeum ante oculos habuit, veluti Plass (Tyr. II, 262, 2) fr. 119 ex alio quodam scriptore desumptum esse docet. Timaeus igitur, haud dubie ipsi Andocidi ausus refragari, aliud nomen insolenter posuisse videtur pro Charmide; auctor ille quem Plutarchus adhibuit hanc Timaei opinionem notasse, Plutarchus iterum ridicule errasse putandus est.

In altera Atheniensium expeditione versatur Timaeus fr. 102 de Gylippo: adiciendum est Phil. fr. 46 (Plut. Nic. 28).

Brevissime a Timaeo secundam expeditionem enarratam fuisse elucet eo quod libro XXI. (fr. 97) Hermocrates (a. 424), libro XXII. (fr. 127) Dionysius maior (a. 409) in scaenam prodit: nimirum locum non invenit ineptiarum, ubi Thucydides suum illud κτῆμα ἐς ἀεί collocaverat. Optime vero cognoscis utrumque scriptorem fr. 103 et 104: nimius est Timaeus in hisce anicularum lucubrationibus, quas Thucydides aspernatur. Quamquam nec mihi nec Grotio (IV, p. 130, 12) risum movent tales superstitiones, quae ab ipso Timaeo non sunt profectae, sed

---

[1]) Steins, De Hermocrate, Diss. Monast. 1868 p. 21, 7. Ex Timaei sententia Herculem ludos Olympios atque ἐκεχειρίαν instituisse monet Krause, Olymp. p. 32.

[2]) Mihi quidem displicent virorum doctorum supplementa, Rothii, »consentire consuerunt«, Halmii Fleckeisenique (Philol. IV, p. 316—7) »constare consuerunt«: placet »consenserunt.« Debuit Mueller totum Alcib. cap. XI. Timaei fragmentis inserere, quoniam Theopompi et Timaei apparet ibi consensio. Verumtamen Nepos neque Thucydidem sequitur neque Theopompum neque Timaeum, sed Satyrum, qui quidem ipse ex illis hausit (Rinckii proll. in Rothii Nepot. p. CVII).

[3]) Etiam Pape (Lex. nom. propr. graec. p. 1526) Atheniensem quendam agnoscit Timaeum.

vulgo etiamtum ferebantur Athenis, cum ille ibi moraretur.

Haud scio an recte Fricke (de fontibus Plut. Nic. et Alcib., Lips. 1869, p. 32—7) Plut. Nic. capp. 12—16 Timaeo tribuat: Timaeum Alcib. c. 17, Ephorum Alcib. c. 18—23 Plutarchi esse auctores equidem nego, quoniam Satyrus videtur mentionem fecisse Timaei Plut. Alc. c. 21. Nec vero persuasit mihi Fricke Plutarchum in vita Alcibiadis octo deinceps fontes adhibuisse atque ita temere permiscuisse, ut figuli more opus musivum conglutinaret.[1])

Syracusani postquam concordia splendidissimam reportarunt victoriam fiunt discordes: mox Dionysius rerum potitur, ut quidem Timaeus opinatur, a. 409. Atque quia (fr. 119) eodem die Dionysium tyrannum factum esse voluit, quo Euripides obiit, etiam Euripidis mortem a. 409 fixisse videtur. Sequitur fr. 125, ubi Timaei error in lucem provenit: Dionysius, tres et viginti annos natus imperium adeptus, per duos et quadraginta annos regnat Syracusis, vivit omnino a. 432—367.

Frustra Volquardsen (p. 80—107) Diodori fontem in rebus Siculis solum fuisse Timaeum comprobaturus est, quandoquidem Diodorus non Timaei, sed Ephori praebet numeros de Dionysio. Immo Ephorum in Dionysii maioris vita primarium fuisse crediderim Diodori fontem, ita tamen ut ipse Ephorus ex Philisto hauserit: ad Philistum debet referri quidquid Siculum scriptorem redolet, ad Ephorum mediocris ille ac sincerus color historiae enarrandae. Etenim Philisti vestigia Volquardsen deprehendit et ipse, Timaeum ex Philisto hausisse opinatus. Verum

---

[1]) Quosnam adhibet fontes ipse Timaeus in rebus Graecis? Antiquiora tempora exsecutus cum Theopompo facit (fr. 57 et 101), postea Ephori vestigiis ingreditur (fr. 131). Etenim omnibus fere scriptoribus adversatus certe eos exscripsit, quibus assentatur. Veluti in Hieronis vita aperte Philistum sequitur (fr. 91 et Phil. fr. 45), cui in Dionysii historia acerrime obtrectat. Thucydidem ipsum non vidit Timaeus, sed Thucydidi refragatus Philistum in manibus versavit (Phil. fr. 46). Ne in Dionysii quidem vita Philistum neglexit, multa tamen vel de suo addidisse vel ab Andromacho patre videtur accepisse. Ab Andromacho forsitan pendeant quae Timaeus de Philisti morte declamitavit: Timonidem, quem vult Koerber (De Philisto, p. 13—4), non secutus est (Timaei fr. 129; FHG II, p. 83—4); Andromachum autem, ut Timoleontis, sic etiam Dionis fuisse commilitonem probabile est.

Timaeus, acerbissimus Dionysii obtrectator, Philisto duce ad mediam quandam Dionysii aestimationem non pervenit, immodica potius Philisti laude instigatus immodice Dionysium dilacerabat. Contra tranquillus ille Ephorus, quamquam Philisti laudes imminuebat, tamen ab nimia Dionysii vituperatione abstinebat. Ciceronis enim quinam sint »boni auctores«, patet: bonis parentibus atque honesto loco natum Dionysium fecerat Philistus, cuius sententiam ab Ephoro haud dubie refutatam Cicero amplectitur, beatam Dionysii vitam quam maxime illustrans; alius ille qui alio modo tradidit ipse fuit Ephorus. Diodorus (XIII, 96) Dionysium refert scribam fuisse atque obscurum hominem, in similem sententiam abit Isocrates (Philipp. 65—7), Ephorus haud dubie cum Isocrate faciebat, hausit igitur Diodorus ex Ephoro. Timaei autem opinio exstat apud Helladium (Photii Biblioth. ed. Bekker p. 530): ὀνηλάτου μὲν υἱὸς Διονύσιος ἦν.[1])

Dionysii tempora priora libro XXII. enarrata fuisse apparet fr. 127: Timaeus, ut mores tyranni iam ab initio illustraret, Damoclis assentatoris scurriles depingit nugas.[2]) Primo autem vere a. 409 Carthaginienses ab Egestanis contra Selinuntios auxilio vocati in Siciliam invadunt: Timaeus, Ephori numerum multo maiorem vituperans, contendit non multo plus centum milia fuisse Carthaginiensium (fr. 108). Frustra Selinuntii fortiter repugnant; foeda crudelitate Poeni urbem solo aequant incolasque necant. Hic pono fr. 57a de Cinnaro, lenone Selinuntio, ubi Timaeus more sueto, antequam urbs everteretur, mollitiem civium exposuerat. Deinde Hannibal, Poenorum dux, avum Hamilcarem ulturus a Gelone (a.

---

[1]) Voelkerling, De rebus Siculis p. 79—80. — Aliud argumentum, idem prolatum a Grotio V, p. 679, 29, adhibet Koerber (De Philisto p. 6—7), ut Volquardseni sententiam evertat; sed (p. 8—9 et 25) Volquardseno videtur concedere Timaeum dumtaxat in Dionysii maioris vita solum esse Diodori fontem.

Prorsus meam sententiam de Diodori fontibus in enarranda maioris Dionysii vita tenet Voelkerling (Progr. Cruciburg. 1865 p. 25—6).

[2]) Multa ex Timaeo transtulisse Polyaenum evincitur Polyaen. V, 46. Idem de Frontino recte monuit Stiehle.

»Damocles« an »Democles« scribendum sit, ambigitur: Athenaei Polyaenique forma Attica Δημοκλῆς ad Timaeum pertinet, Ciceronis Ephorive dorica »Damocles« ad Philistum.

479) trucidatum, proficiscitur ad Himeram: sex milia Carthaginiensium, non ut Ephorus scribit viginti milia, occiduntur improviso Himeraeorum impetu (fr. 109); sed numero inferiores Graeci in urbem reiciuntur, denique Himera ab Syracusanis destituta funditus evertitur. Attamen Hannibal Graecorum fortitudinem expertus non audet longius provehi, sed in Africam revertitur praeter omnium opinionem.

Haec mihi videtur causa illius de Dionysio erroris, quod Timaeus, cur Hannibal victor domum revertisset, non intellexit Hannibalemque statim ceteras quoque urbes oppugnasse credidit, denique priorem Carthaginiensium expeditionem et secundam confudit. Noverat autem Dionysium imperio potitum esse, quo tempore Poeni in Siciliam invaderent; cum duas expeditiones non distingueret, omnia quae in secunda expeditione fiebant tribus annis ante rettulit. Ac mox revera innotescit Dionysius, Hermocratem armis in urbem reducere conatus, sed gravi vulnere afflictus et morti vix ereptus.

Nec vero argumentatio mea elevatur eo quod Timaeus in secunda expeditione (fr. 110) Poenorum circiter centum et viginti fuisse milia contenderat: barbaros auctis copiis paullulo post iterum in Siciliam provectos esse hariolatur. Magnam posuit operam in describenda Agrigentinorum luxurie (fr. 112, 111, 113, 114):[1]) nihilosetius Hannibal nonnisi proditione Dexippi ceterorumque mercennariorum (fr. 115) urbem cepit captamque diruit.

Phalaridis taurum Agrigenti nunquam fuisse, itaque ne Carthaginem quidem ab Hannibale missum esse autumavit Timaeus, cui quidem Polybius (fr. 116) et Diodorus (fr. 117) magna cum acerbitate adversantur.[2]) Aliter Schol. Pind. Pyth. I, 185 Timaei sententiam exprimit (fr. 118): fuit olim Agrigenti taurus, sed ab Agrigentinis in mare deiectus est.[3])

De Phalaridis tauro exposuit Ebert (Σικελιών, Regim. Pruss. 1830 p. 40—106, de Timaei opinione p. 68—77): ne ipse quidem adstipulatus Volquardseno (p. 90) fr. 118 Timaeo ausim abiudicare, verum infitior Polybium et

---

1) Voelkerling, De rebus Siculis p. 69, 5.
2) Grote II, p. 617, 2.
3) Bentley, Op. phil. p. 437.

Diodorum turpiter errasse ac somniasse, ut videntur Eberto. Atque Timaei indolem respicienti nequaquam quaestionem ille mihi ita videtur exsecutus esse, ut diversas proponeret opiniones coniecturasque, in utramque disputans partem, quid rationis et causae haberent, qui defenderent, tum qui negarent taurum fuisse. Itaque ne potuit quidem neque Eberti Polybius neque Volquardseni scholiasta, propositas a Timaeo sententias singulas cum cura et tranquillo animo non ponderans, alius cuiusdam scriptoris opinionem Timaeo imputare. Neque intellegitur, cuinam scriptori tribuenda sit alterutra opinio: nemo praeter Tauromenitam taurum fecit submersum, nemo negavit fuisse eum.

Proculdubio controversia exstabat antiquitus, essetne Agrigenti taurus ille Phalaridis an Carthagine: utrobique Timaei temporibus ostentabatur taurus eiusmodi; Carthaginienses videlicet suum se cum praeda Agrigentina asportasse asseverabant, id quod infitiabantur Agrigentini. Quam ut dirimeret litem, Timaeus, qua fuit audacia, neutrum esse dixit genuinum. Atqui ubinam gentium voluit esse verum Phalaridis taurum? Duplici ratione diversis temporibus hanc solvisse videtur quaestionem: mox, Agrigentini verum taurum abiecerant in mare; mox, fuit omnino nunquam. Debuit enim loqui de Phalaride, cum antiquam Siciliae enarraret historiam, libro secundo: facile tanto intervallo (lib. II et XXIII) talis discrepantia admittitur. Lib. II (fr. 118) tauri absentiam probabiliter studuit explicare, lib. XXIII (fr. 116 et 117) ille qui Zaleucum fuisse impudenter negaverat non dubitavit infitiari taurum fuisse unquam. Simile autem discidium exstat inter fr. 24 (lib. II.) et 134 (lib. LIV.): Libyam prorsus desertam subito vides vel scatentem hominibus.

Ab Agrigento cum Carthaginienses ad Gelam et Camerinam profecti essent, Dionysius, qui ipse Syracusas relinquere nollet imperio nondum satis firmato, omnium desiderio cogitur Gelois auxilio venire triginta milibus peditum, mille equitibus, quinquaginta navibus (fr. 121). Sed cunctabundus rem gerit ac primo proelio inferior Syracusas redit; quo facto Geloi etiam et Camerinaei Syracusas fugiunt, urbes vero diripiuntur a barbaris. Attamen iterum Carthaginienses his quas reportarant

victoriis contenti aequam ultro pacem offerunt, quam Dionysius libenter videlicet accipit.

Haec bella Timaeus duobus libris exposuit (lib. XXII—XXIII): libro XXIV tyrannus totam Siciliam subacturus ita saevit in urbes Aetnam, Naxum, Catinam, Leontinos, ut Siciliae pestis videretur mulieri Himeraeae (fr. 119 a).[1]) Aucta potentia et firmata Dionysius ingentes parat copias, quibus ipse bellum inferret barbaris: Poenorum non plus centum et triginta milia fuisse tradit Timaeus, Ephoro adversatus ut nimis augenti numeros (fr. 122).[2]) Dionysius, aliquamdiu prosperrima usus fortuna, mox Syracusas fugit; Himilco urbem oppugnat, sed perniciosissima peste exercitum perdidit, clam castra deseruit.

Sex deinde libris (XXVIII—XXXIII) Timaeus reliquam Dionysii vitae partem comprehendit: bellum contra Tauromenitas perspicis fr. 135; Thucydidem in Italia exsulasse et obisse contenderat (fr. 123).[3]) Moribundo Dionysio medici soporem dederunt, ne revivisceret (fr. 124); mortuo autem rogus magnificentissimus exstruitur (fr. 126).[4])

Non dubito, quin secundum secundae partis caput incipiat a. 367; cuius quidem capitis prooemium invenitur fr. 139. Dion, cum sapientia tum affinitate apud Dionysium minorem praepollens, ut regem rudem omnique

---

[1]) Mureti Var. Lect. lib. XIV, 15 (Tom. II, p. 332—3 ed. Ruhnken.); Meineke, Anal. Alex. p. 355—6; Oratores Att. rec. Baiter et Sauppe II, p. 27, 18.

Hanc de somnio Himeraeo fabulam praebet Valerius Maximus I, 7, ext. 6, ut omnino multa transscripta habet ex auctore quodam latino, qui Timaeum expilaverat (Kempf p. 24).

[2]) Voelkerling (De rebus Siculis p. 46, 1; 53, 1; 66, 4; 94, 4) Timaei numeros praefert non ut veros, sed ut veri similiores; quos Timaeus imminuebat, non ut veritatem assequeretur, sed ut Dionysio obtrectaret. Ephorus magnos exercituum numeros sumpserat ex Philisto.

[3]) Krueger, De Thucyd. vita, Berol. 1832, p. 51; Roscher, Klio I, p. 104.

[4]) Grote VI p. 54, 24 abiudicat Timaeo historico fr. 126; in eandem sententiam abit Zenzes (De Dionysio minore, Diss. Monast. 1870, p. 17), qui omnino semper cum Grotio facit (p. 56). Mendelssohn p. 192, 1 rursus locum Timaeo reddit ac iusto quidem iure: Fr. Ritschelius (Opusc. phil. vol. I, p. 470, Lips. 1866), quoniam nec in poeta versamur nec descriptionis potius quam operum laudationem expetimus, θαυμαζέτω pro θαυμάζεται optime coniecit. Sed cur Mendelssohn Diodori narrationem (XV, 74) tanta fiducia Timaeo tribuat non intellego.

eruditione carentem ad iustam regnandi rationem adduceret, Platonem arcessivit; sed Dionysii maioris familiares, imprimis Philistus, ne Plato ex tyranno philosophum faceret, Dioni et Platoni impugnant. Accidit ut epistula ab Dione pacis causa Carthaginiensibus missa deferretur ad Dionysium; qui ab illis instigatus Dionem eiecit in exsilium (Plut. Dion. 14). Tum ne Plato quidem mansit Syracusis, Athenas revertit; tamen Dionysii precibus, philosophorum consiliis obsecutus rursus in Siciliam proficiscitur. Huc refero fr. 128: Xenocrates philosophus, Platonis amicus, coronam auream a rege acceptam Mercurio condonat. Plato, ut Dion revocaretur, identidem postulans, in tyranni odium incidit ac turpiter ipse eicitur: tum vero expeditione parata Dion urbem expugnat. Litteras misit Dionysius Dioni ab uxore liberisque, quos in arce tenebat, ut illum ad pacem commoveret: Timaeus filio Dionis non Hipparino, sed Aretaeo nomen dedit (fr. 129). Sed cum classem regiam Heraclides dissiparet, Philistus ipse interficitur et pedibus per vias publicas trahitur magno gaudio plebeculae (Plut. Dion. 35).[1]) Neque tamen Dioni contigit, ut firmam atque tranquillam restitueret rempublicam: Callippus, mercennariorum dux, ipsius amicus, Dionem occidit.[2])

Haec quattuor libris (XXXIV—XXXVII) enarrata fuisse probabile est. Nam libro duodequadragesimo Timaeus in Graeciam revertitur, ubi pro patriae libertate Demosthenes luctatur cum Philippo. Timaeus, Democharem puerum foedo amori indulsisse mentitus (fr. 140—1),[3]) certe etiam de Demosthene, Democharis avunculo,

---

[1]) Hic inserendus est Tzetzis locus, quem affert Goeller p. 122—3.

[2]) Cfr. Athen. XI, p. 508 f: recte scribitur infra (p. 509) Τιμόλαος pro Τίμαιος (Marquardt, Cyz. p. 71 et 173—4), sed supra desideratur καὶ Κάλλιππος δὲ ὁ Ἀθηναῖος, ὥς φησι Τίμαιος, μαθητὴς καὶ αὐτὸς Πλάτωνος, ἑταῖρος Δίωνος καὶ συμμαθητὴς γενόμενος, καὶ συναποδημήσας αὐτῷ εἰς Συρακούσας, ὁρῶν ἤδη τὸν Δίωνα ἐξιδιοποιούμενον τὴν μοναρχίαν, ἀποκτείνας αὐτὸν καὶ αὐτὸς τυραννεῖν ἐπιχειρήσας ἐπεσφάγη. Deest enim huius narratiunculae auctor, quamquam Athenaeus et ante et post auctorum inicit mentionem.

[3]) Bernhardy fr. 140 sic exhibet: Τίμαιον ἐν λη′ ἱστορεῖν, ὡς οἱ περὶ Δημοκλείδην κατὰ Δημοχάρους εἶπον, ὅτι κτλ. Admodum mihi displicet illud ὡς οἱ περὶ Δημοκλείδην ita collocatum, ut auctoris cuiusdam nomen subesse videatur. Cfr. Hesych. I, p. 482, 865 (Schmidt)

locutus est; eadem ratione de Philippo verba fecisse putandus est, cum Alexandrum eadem nocte natum vellet, qua templum Dianae Ephesiae deflagravit (fr. 137).[1]) Templum Dianae Persarum sumptibus restauratum est, non Ephesiorum (fr. 136). Alexandri praeceptor, Aristoteles, a Timaeo perstringitur summa cum acerbitate (fr. 75): Stagiritam, profusa re familiari, obscurum diu fuisse pharmacopolam (fr. 74) atque postea paelice usum esse (fr. 76).[2])

Corinthi tum vixit Timoleon, ab omni negotio publico abhorrens, insignis tamen olim prudentia ac fortitudine; sed quia fratrem tyrannidem affectantem occiderat ipse cum nonnullis amicis, inter quos haruspex quidam Orthagoras (fr. 131 et 130), a civibus, a familiaribus, a matre vehementer increpatus per viginti annos abstinuerat rebus publicis. Interea Syracusis Callippum Hipparinus, Hipparinum Nysaeus, Nysaeum Dionysius redux factus de imperio deiecerat; Dionysio autem Hicetas arma intulit, Leontinorum tyrannus. Syracusani igitur ad miserrimum rei publicae statum delapsi auxilium impetrant a Corin-

---

Δημοκλεῖδαι· οἱ ξένοι καὶ μοιχοὶ ἀπὸ Δημοκλείδου τοιούτου ὄντος, καθάπερ καὶ τοὺς ἡταιρηκότας Τιμάρχους ἔλεγον. Inde Suidae locum emendo: Τίμαιος ἐν λη´ Ἱστοριῶν κατὰ Δημοχάρους εἶπεν, ὅτι μόνῳ αὐτῷ πάντων Ἀθηναίων οὐκ ἔξεστι τὸ ἱερὸν πῦρ φυσῆσαι, ὡς μὴ καθαρεύοντι τοῖς ἄνω μέρεσιν [ὡς οἱ περὶ Δημοκλείδην glossa in margine adscripta, textui inserta ab librario]. Omnes evanescunt difficultates in fr. 140 et 141: Ruhnkenii sententia (Opusc. I, p. 374—6) duos calumniarum auctores Timaeo imputantis, Archedicum comicum et Democlidem oratorem, minime arridet; Polybius enim nimis expresse ait οὐ γὰρ ἄν Ἀρχέδικος ὁ κωμῳδιογράφος ἔλεγε ταῦτα μ ό ν ο ς περὶ Δημοχάρους, ὡς Τίμαιός φησιν.

1) Haud parvo acumine Volquardsen (cap. XII.) Timaeum docuit fontem esse Diod. lib. XVI. de Philippo: refragor A. Schaefero (Zarnckii annal. litt. 1869 p. 509), qui Volquardseno concedit unum Timaeum Diodori in rebus Siculis fuisse auctorem, dubitat autem de rebus Graecis (lib. XVI).

2) Taetrum sane videtur Timaei studium viros illustrissimos foedis maculis oblinendi; neque ego maledicentissimos recentiorum Timaeo ausim aequiperare. Creuzer, infandam Timaei operiens maledicentiam, nobilem potius Timaei stirpem, divitias, insignia fata, scientiae amplitudinem, operis magnitudinem causas fuisse cur ceteri Timaeo tam acriter obtrectarent scilicet invidentes, vix multis persuasit. Sed fallitur Plass (Tyr. II, 120) convicia in Demetrium Phalereum fr. 141 a Timaeo iactari ratus; ubi Demochares loquitur.

thiis, quippe quorum essent coloni. Decem navibus Timoleon in Siciliam transvectus, benigne exceptus ab Andromacho Tauromenita, Timaei patre, Syracusas petit, ubi Dionysius arcem, Hicetas urbem, Poeni portum tenebant, et ipse omnes depellit. Dionysium Timaeus nave longa, Theopompus nave oneraria vult usum esse, cum Corinthum aveheretur (fr. 133).[1] Sed iam ingentibus copiis Carthaginienses in Siciliam traiciunt: Timoleon quamvis impar militum numero, ipse impavidus et suos quoque ad virtutem exhortatus (fr. 134), hostes profligat ad Crimisum fluvium. Ad idem proelium spectat Plut. Quaest. Symp. V, 3, 2, 3, ubi omen quod militibus videbatur infaustum in bonam partem interpretatur Timoleon. Syracusas reversus rem publicam bonis legibus fulcit, urbem prorsus devastatam novis auget colonis, per totam Siciliam tyrannos expellit, denique pacem restituit florentissimam ac beatissimam. Egregie profecto Timaeus (fr. 132) de Timoleonte Sophoclis illud laudat: ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις, ἤ τίς Ἵμερος τοῦδε συνήψατο;

Concinunt veteres (Polyb. XII, 23; Cic. ad fam. V, 12, 24; Marcellin. V. Thuc. § 42) eximias laudes Timoleonti tribuisse Timaeum; neque ego crimini verto Andromachi filio apotheosin viri praestantissimi. Est enim profecto admirandus ille, non tam propter victorias, etsi ne Alexandro quidem cedat virtute bellica, — quam propter singularem animi celsitudinem ac sinceritatem; cui cum tyranno esse liceret, maluit civis esse![2]

Reliquos libros usque ad sexagesimum tertium fere omnes Alexandro Magno datos fuisse compertum habeo. Iniuria vituperat Longinus (fr. 138) frigidum Timaei sermonem dicentis Alexandrum paucioribus annis Asiam subegisse, quam Isocrates unam orationem condiderit: immo Isocrates festive perstringitur! Poeni ex praeda

---

[1]) Timaeus Timoleontem praedicat, qui etiam hostem honorifice tractarit; cfr. iudicium Wichersii (Theopompi fragm. p. 52 et 237) et Grotii (VI, 123, 57).

[2]) Sintenis (Philol. II, p. 291) Polybio concedit Timoleontis gloriam a Timaeo nimis exaggeratam esse; aequius iudicat Cless (Pauly Enc. VI, 2, 1976). De Timaeo Plutarchi fonte egit Arnoldt (Progr. Gumbinn. 1848, aucta et separata editione ibid. 1850 p. 14—23); deinde (p. 24—8) Timaei vestigia patefecit apud Cornelium, Polyaenum, Diodorum.

Geloa statuam Apollinis Tyrum miserant; Alexander urbem expugnat eodem die eademque hora, qua barbari statuam abripuerant (fr. 120).[1]) Increpat Timaeus Callisthenem ut Alexandri assentatorem (fr. 143),[2]) Demosthenem celebrat divinos honores regi denegantem (fr. 142).

Callisthenem aspernatus unde sumpsit Timaeus historiam Alexandri? Cfr. Curt. IX, 5, 21: »Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugnae (Mallensi) affuisse auctor est Clitarchus et Timagenes. Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, afuisse se, missum in expeditionem, memoriae tradidit. Tanta componentium vetusta rerum monumenta vel securitas vel, par huic vitium, credulitas fuit!« Timagenes est Timaeus noster; etenim illud »componentium vetusta rerum monumenta« vix pertinet ad Timagenem, qui quinquaginta fere annis ante Curtium scripsit. Sed utique in Curtii fonte et hic et paullo ante mentio facta erat Timaei historici, quippe qui versatus esset in rebus Alexandri. Hinc fluxit Timaeus ille gloriosus, qui, multis adverso corpore vulneribus acceptis egregiaque edita pugna, cecidit: risum movet Tauromenita πάσης ὁμολογουμένως ἄπειρος πολεμικῆς χρείας (fr. 139) subito in fortissimum militem conversus! Nimirum Curtius neque Clitarchum neque Timaeum neque Ptolemaeum ipse vidit, sed totam hanc disceptationem cum veterum auctorum nominibus ex graeco quodam fonte deprompsit. Denique quoniam fr. 153 Timaeum et Clitarchum vides coniunctos, Timaeum assidue Clitarchi vestigia legisse necesse est.

Sequuntur ἐπὶ καταστροφῇ τῆς ὅλης ἱστορίας (fr. 145)[3]) αἱ ἐσχάται τῆς συντάξεως πέντε βίβλοι τοῦ συγγραφέως τούτου, καθ' ἃς περιείληφε τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις (fr. 144).[4]) Syracusani ut omnes illius aetatis Graeci ad liberam rem publicam non iam apti denuo in factiones discedunt; Agathocles infimo loco ortus, ingenio tamen et audacia excellens tyrannidem nanciscitur atque omnes adversarios vel caede vel exsilio perdit. Exsul factus, Timaeus Agathoclem ulciscitur, vitia eius augens, laudes comminuens,

---

[1]) Voelkerling p. 92, 5.

[2]) Westermann, Progr. Lips. 1838 p. 12; Grote VI, p. 592, 90.

[3]) Artificiosa interpretatio G. A. Schmidtii (p. 29, 3) est reicienda: Polybius Historiarum, non Agathoclis historiae finem intellexit.

[4]) De Timaeo et Agathocle cfr. Grote VI, p. 780, 133 et Wiese (de Agathocle, diss. Monast. 1867 p. 72—8).

denique homini utique forti obtrectans quam maxime (fr. 144).[1]) Agathocles figlinam fugiens adulescens Syracusas venit (fr. 146), foedo amori inserviebat (fr. 145). Tyrannus tantam in Sicilia sibi parat potentiam, ut Poeni de sua ipsorum provincia metuerent; victus a Carthaginiensibus et cinctus bellum transfert in Africam, incredibili fortunae prosperitate Poenos identidem fundit, sed cum in Sicilia libertatis amor reviresceret, etiam fortuna Poenis magis magisque faveret, aequam pacem init (Diod. Sic. XX, 79, 5).[2]) Deinde Dinocrati arma infert, exsulum duci, qui exercitum satis magnum coëgerat: septem milia captivorum occidit violata fide (fr. 147). Moritur Agathocles duos et septuaginta annos natus, postquam duodetriginta annos regnavit (fr. 148).

Contra teste Pseudo-Luciano Macrob. c. 10 Timaeus Agathoclis vitam usque ad annum nonagesimum quintum provexerat, quod mihi quidem verisimile non videtur: Diodorus certe Timaeum tenebat in manibus; ille qui dicitur Lucianus eum ne vidit quidem.[3]) Fortasse Agathocles cum ipso Timaeo confunditur, quem ad annum nonagesimum sextum vixisse Lucianus refert ibid. cap. 22. Quodsi probatur, Timaeus extremum vitae annum non peregit, ita ut mox quinque, mox sex et nonaginta annos natus fuisse diceretur. Unde Lucianus ad suam fabulam devenit, quoniam Agathoclis, Democharis, Timaei nomina artissime invenit coniuncta ac probabili ratione studebat distinguere.

Dictum illud Timaei (fr. 149), a Longino Xenophonti, a Plutarcho rhetori cuidam tributum, mihi quidem graecum proverbium videtur eodem modo ab omnibus usurpatum.

---

[1]) Justinum, iniquissimum Agathoclis obtrectatorem, omnia prorsus Timaei convicia repetisse docet Heeren (De Trogi Pompeii fontibus, Comm. Gott. XV, p. 229), quamquam miram sibi fingunt Timaei Historiarum imaginem et Heeren et Heyne (De fontibus Diodori, ed. Dindorf. vol. II, praef. p. XXXIII).

[2]) Hoc fragmentum et a Goellero et a Muellero omittitur: πρὸς δὲ τοὺς Καρχηδονίους πρεσβευτὰς ἀποστείλας συνέθετο τὴν εἰρήνην ἐφ᾽ οἷς τὰς πόλεις κομίσασθαι τοὺς Φοίνικας τὰς πρότερον ὑπ᾽ αὐτοὺς γεγενημένας· ἀντὶ δὲ τούτων ἔλαβε παρὰ Καρχηδονίων χρυσίον μὲν εἰς ἀργυρίου λόγον τριακοσίων ταλάντων, ὡς δὲ Τίμαιός φησιν, ἑκατὸν πεντήκοντα, σίτου δὲ μεδίμνων εἴκοσι μυριάδας.

[3]) Bentley, Opp. phil. p. 337.

Subiunxit Mueller fr. 150 ex Polemonis πρὸς Τίμαιον libris desumptum, discrepantem scilicet Timaei opinionem cum Prellero conatus indagare. Verum enimvero Polemonis πρὸς Τίμαιον fragmenta (FHG III, p. 126—9) perscrutatus equidem mirabar, quod nunquam Timaei sententia elucet videlicet contraria: immo adsentitur Polemo Timaeo de Laide (Tim. fr. 105), ubi perperam Preller et Mueller αὐτοσχεδιάζουσιν et quae sequuntur ad Timaeum revocant: nihil dixerat nisi natam esse Laidem Hycaris, quod concedit Polemo additque sepultam esse in Thessalia.[1]) Deinde Tim. fr. 159 ille qui Maesonem in Siciliam rettulerat certe Timaeus est Siculus: iterum Polemo Timaei assecla! Neque omnino Polemonis τὰ πρὸς Τίμαιον sunt ἀντιγραφαί, sunt potius supplementa vel commentarii ad Timaeum, ut etiam τὰ πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον commentarii ad Adaei et Antigoni opera: Polemo omissis quae ad meram historiam spectabant ex Timaeo collegit res memorabiles easque potissimum breviter atque obiter ab illo tractatas, deinde explicavit obscuras, supplevit mancas, defendit dubias. Fuerunt autem isti commentarii non continui, sed alphabetici tamquam lexicon:

Polem. fr. 39: ἐν πρώτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον s. v. Ἀδηφαγία.
,, fr. 41: ἐν τῇ τετάρτῃ πρὸς Τίμαιον s. v. Κάλαμις.
,, fr. 43: ἐν πέμπτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον s. v. κοδύμαλον.
,, fr. 44: ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον s. v. Λαίς.
,, fr. 45: ἐν τῷ δωδεκάτῳ τῶν πρὸς Τίμαιον s. v. παρῳδία.

Quoniam lib. XII. Polemo ad litteram π demum pervenerat, commentarii ad Timaeum multo plus duodecim libros comprehenderint oportet.

Polem. fr. 56: ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον s. v. Ἀθαμᾶνες.
,, fr. 57: ἐν πρώτῳ s. v. Ἀντιγονίς.
,, fr. 58: ἐν τρίτῳ s. v. Ἐγγυθήκη.
,, fr. 59: ἐν πέμπτῳ s. v. πορφυρίων.
,, fr. 60: ἐν πέμπτῳ s. v. τέλειος.
,, fr. 62: ἐν ἕκτῳ s. v. χείρ.

---

[1]) Non Timaeus, sed Polemo primus vocem χελώνη pro ὑποπόδιον usurpavit; cfr. Hesych. IV, p. 281 (Schmidt) et Steph. Thes. VIII, p. 1443.

Polemo sex tantummodo libros ad Adaeum et Antigonum scripserat, quia libro VI. iam littera χ erat tractata.

Quae cum ita sint, in nova Timaei fragmentorum collectione Pol. fr. 39, 41, 43, 44, 46 (s. v. Μαίσων), 42 (s. v, νηφάλια), 45 debebunt exhiberi loco appendicis: fr. 40 prorsus dubium est.

Poterat autem Polemo Timaei partes tenere, quia eius hariolationes ad historiam maxime pertinebant: de Timaeo periegeta scite iudicat Preller (Polem. p. 187).[1]

Separatum ab Historiis fuit volumen de Pyrrho vel potius de annis 289—64. Res Siculas Timaeus enarrare pergit; deinde ad Romanos devertitur fr. 151: in campo Martio equum iaculis configunt equi Troiani memores, quia Troiana stirpe sese ortos esse probe noverunt.[2] At vero res Graecas non omisit: quae Diodorus, Trogus sive Justinus, et imprimis Pausanias de Gallorum incursione praebent, ex Timaeo, non ex Hieronymo Cardiano hausta esse probavit G. A. Schmidt. Adstipulati sunt Wachsmuth,[3] Droysen,[4] Collmann,[5] Nitzsch;[6] refragatur de Pausania solus Pfundtner.[7])

Sane Timaeus Hieronymo, Pausanias Timaeo utitur fonte; nam Philistum Pausanias (I, 13, 9) certe non vidit: ceteris quoque locis Philistum ex Timaeo cognovit (I, 29, 9; V, 23, 6).

Apte monuit Stiehle similitudinem quae intercedit inter Paus. I, 29, 9 et Justin. IV, 5, 10—1:

---

[1]) Patet quid iudicandum sit de Roeperi disputatione (Philol. IV, p. 356—7), qui fr. 106 pro ἐν τοῖς λεγομένοις Τιμαίοις legendum proponit ὡς ἐν τοῖς Πολέμωνος πρὸς Τίμαιον: Polemo et Timaeus ambo Laidem Hycaris natam voluerunt; Hycara vero et Eucarpiam idem esse oppidulum iterum nego.

[2]) Timaeo tribuitur Paus. I, 12, 1: Pyrrhum Romanis bellum intulisse ut Aeacidam Aeneadibus (Niebuhr, H. R. I, 189). Fortasse Ennius in Pyrrhi bello Timaeum adhibuit (Mommsen I, p. 940): Aio te Aeacida Romanos vincere posse (Ann. lib. VI, v. 186 Vahlen).

[3]) Sybelii ann. hist. X, p. 7.

[4]) Hellenism. I, p. 650 et 673; II, p. 188.

[5]) De Diodori Sic. fontibus comm. crit., Marburg. 1869, p. 63.

[6]) Annal. Rom. p. 223.

[7]) Jahnii ann. 99, p. 452.

Paus.: γράφω δὲ οὐδὲν διάφορα ἢ Φίλιστος, ὃς ἔφη Δημοσθένην μὲν σπονδὰς ποιήσασθαι τοῖς ἄλλοις πλὴν αὐτοῦ, καὶ ὡς ἡλίσκετο αὐτὸν ἐπιχειρεῖν ἀποκτεῖναι, Νικίᾳ δὲ τὴν παράδοσιν ἐθελοντῆ γενέσθαι.

Justin.: Demosthenes amisso exercitu a captivitate gladio et voluntaria morte se vindicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, ut sibi consuleret, admonitus cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

Justinus quidem accurate verba non reddit — Demosthenes non iam moritur, conatur sibi mortem consciscere, sed haud dubie a Syracusanis impeditur, quoniam postea de amborum simul ducum mortibus controversia exsistit inter Philistum et Timaeum —, sed Justini error nonne ex isdem prorsus prodiit verbis, quae praebet Pausanias? Trogus autem Philistum non vidit; Timaeum igitur vel Pausaniae fontem esse cuivis videatur probabile.

Ex Timaeo petita est falsa chronologia Paus. VI, 9, 5: Γέλων δὲ ὁ Σικελίας τυραννήσας Συρακούσας ἔσχεν Ὑβριλίδου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Τισικράτης ἐνίκα Κροτωνιάτης στάδιον. Idcirco non est cur dubitemus de Paus. I, 3 (§ 6) — 4, 9 (§ 5) — 13 et X, 19 (§ 5) — 23.

Neque Haakhii (Pauly Enc. III, p. 1299—1300) sententia mihi placet Justin. lib. XXIII cap. 4 initium Timaeo abiudicantis: »Post profectionem a Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur: cuius tanta moderatio fuit, ut, consentiente omnium civitatium favore, dux adversus Carthaginienses primum, mox rex crearetur.« Hieronem enim a. 275 in solium ascendisse vult Paus. VI, 12, 2: Μετὰ δὲ τὴν Ἀγαθοκλέους τοῦ πρότερον τυραννήσαντος τελευτὴν Συρακοσίοις αὖθις ἀναπεφύκει τύραννος ὁ Ἱέρων οὗτος, τὴν δὲ ἀρχὴν ἔσχεν ἔτει δευτέρῳ τῆς (omnium consensu excidit ς′ = ἕκτης) Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατόν, ἣν Κυρηναῖος στάδιον ἐνίκησεν Ἰδαῖος. Itaque eodem errore vel Pausanias opinatur Hieronem regem factum esse statim post Pyrrhi decessionem. Sed si Pausanias et Justinus adeo consentiunt in rebus Siculis, utriusque fontem fuisse Timaeum, unum neglegentissimum chronologum, in propatulo versatur.

Vita.

Hermannus Kothe natus sum Oppolii a. d. XII. Cal. Febr. a. h. s. LII patre Bernardo, matre Maria e gente Bittner, quos parentes dilectissimos adhuc servavit incolumes Deus Optimus Maximus. Fidei addictus catholicae, primis litterarum elementis imbutus sum in schola publica, deinde Oppoliense gymnasium adii, quod etiamnunc regit Augustus Stinner, vir tam scientiae amplitudine quam ingenii suavitate insignis. At vero septem annis peractis pater Vratislaviam vocatus memet ipsum transtulit in gymnasium ad aedem St. Matthiae; ubi tria semestria versatus gratias agere debeo quam maximas Expedito Baumgarto, quem mihi litterisque praematura morte ereptum lugeo, et Ant. Jos. Reisackero v. ill., qui hominem novum benigne excepit summaque semper benevolentia prosecutus est. Aestate a. LXX testimonium maturitatis adeptus civibus academicis adscriptus sum a Stobbio v. cl. iterum fasces tenente. Scholis interfui philologicis, philosophis, historicis: per quattuor semestria proseminarii et seminarii reg. philol. eram sodalis. Praeceptorum omnium, imprimis autem Hertzii, Reifferscheidii, Rossbachii memoriam, qui studiorum meorum fautores exstiterunt egregii, pio gratoque animo colam.

Theses.

I. Thuc. VII, 28, 2 unice vera est Blomfieldii coniectura: οἱ μὲν ἐφ' ὅπλοις πονούμενοι (v. ποιούμενοι), οἱ δ' ἐπὶ τοῦ τείχους κτλ.

II. Thuc. VII, 49, 1 magna latet interpolatio: Ὁ μὲν Νικίας τοσαῦτα λέγων ἰσχυρίζετο [αἰσθόμενος τὰ ἐν ταῖς Συρακούσαις ἀκριβῶς καὶ τὴν τῶν χρημάτων ἀπορίαν καὶ ὅτι ἦν αὐτόθι τὸ βουλόμενον τοῖς Ἀθηναίοις γίγνεσθαι τὰ πράγματα καὶ ἐπικηρυκευόμενον πρὸς αὐτὸν ὥστε μὴ ἀπανίστασθαι, καὶ ἅμα ταῖς γοῦν ναυσὶν ἢ πρότερον θαρσήσει κρατηθείς].


III. Lycurg. Leocr. § 22 oratio claudicans optime conformatur eiecta interpolatione: δεηθεὶς τοῦ κηδεστοῦ πρίασθαι παρ' αὐτοῦ τἀνδράποδα καὶ τὴν οἰκίαν [ἀποδόσθαι] ταλάντου, [καὶ] ἀπὸ τούτου προσέταξε κτλ.

IV. Apud Aristidem (I, p. 373 Dindorf) equidem lacunam statuo: τῶν ἀνδρῶν ἀπόντων ἐν τῷ ὄρει κατὰ τὰ ὄργια τῶν θεῶν, ὀφθέντες ὑπ' αὐτῶν κτλ.

V. Plutarch. Nic. 28, 3 scripserim: ἀλλ' Ἑρμοκράτους πέμψαντος, ἔτι τῆς ἐκκλησίας συνεστώσης, καὶ δι' ἑνὸς τῶν φυλάκων ξιφῶν παρόντων, αὐτοὺς κτλ.

VI. Timaeus fr. 126 sequitur Philistum fr. 42.




3 0112 126252490